

John Carter Brown.

DISPUTATIO HISTORICA,

de

AMERICA,

an veteribus fuerit cognita, & quænam gentis illius origo?

Auctore

M. JO. DANIELE VIETORE,

Ampliſs. Facult. Philoſ. Adjuncto.

JENÆ,

Typis JOH. JAC. BAUHOFERIANIS.

Anno cIↄ Iↄc Lxx.

JOHN CARTER BROWN

Σὺν τῷ Θεῷ.

EX Africa à Nigri oſtiis verſus Occidentem ſeptentrionalem, mill. Germ. CCCXXX. præterpropter, proficiſcentibus nova ſe aperit terra, noſtro *continenti*, de Cluverii quidem ſententia, *magnitudine, ſi non anteferenda, certè æquiparanda*, eaq; Europæ quàm Africæ, ſi attendas inſulas, propinquior. Solum ejus amœniſſimum, variiſq; fructuum generibus fœcundum. fluvii in oceanum ſe fundunt maximi. arbores excreſcunt in ſingularem quà proceritatem, quà craſſitiem, adeò, ut, referente Hornio, alicubi inveniantur tam craſſæ, ut ſexdecim hominum manu junctorum lacertis circumcingi vix queant. animalium nobis tum cognitorum, tum incognitorum varia genera, de quibus alii. *de orig. gent. Amer. l. 1. c. 1. p. 5.*

Hæc eſt terra illa nova, ab inventore ſecundario Americo Veſputio America dicta, non ſine injuria Chriſtophori Coloni, quem alii corruptâ voce Columbum vocant. quandoquidem is anno Chriſti cIↄ CCCC XCII primò Inſulas Americæ Hiſpaniolam, Cubam & Jamaicam detexit ſub auſpiciis Ferdinandi ac Iſabellæ, Caſtiliæ ac Arragoniæ Regum; quinquennio demum pòſt, videlicet anno cIↄ CCCC XCVII Americus Veſputius Florentinus ulteriùs eſt progreſſus, quippe januâ per illum priorem patefactâ, viaq; monſtratâ.

An verò antiquis temporibus cuiquam innotuerit, non jam ex ratione, ſed ex conſpectu ac *αὐτοψία*, id verò eſt, de quo non minimùm certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Nos exercitii gratia nonnihil in id inquiremus, præeuntibus nobis aliis viris doctis: poſtidem, ſi res ac tempus patietur, progreſſuri ad quæſtionem de origine gentis Americanæ.

Caput Primum.

An veteribus aliqua fuerit notitia terræ illius recèns inventæ?

1. Tractaturus ζήτημα hocce, monendum duco, quæſtionem non eſſe, an eruditiores & Coſmographiæ præceptis imbuti terram Americæ cognitam habuerint, quod certè negare non auſim: ii enim oculis mentis ſuæ ac ratione, licèt non ſenſibus, præſentiq; ejus contemplatu cognitam habuêre, ſcrutinio mathematico potiùs, quàm pedibus ingreſſi.

2. Nôrant itaq;, terram eſſe aliam, noſtræ adverſam, eamque habitari vero judicabant ſimile. Huc nonnulli referunt, quæ Plato in Timæo & Critia de Atlantide adducit. & illud Ariſtotelis in libris de cœlo, exiſtimantis, *eum, qui circa columnas Herculeas eſt, locum conjungi ei, qui circa Indicam regionem, & hôc modô mare unum eſſe, non admodum incredibilia exiſtimare videri.* Alterius oræ mundi habitabilis meminit Cicero ſomnio Scip. *Globus mundi duabus oris diſtantibus habitabilis, & cultus; quarum altera, quam nos incolimus, poſita ſub axe ad ſeptem ſtellas; altera auſtralis, ignota nobis, quam vocant Græci ἀντίχθονα.* Ad hunc ferè modum Virgilius:

l. 2. c. 14. in fin.

Vide ſis ad eum libr. Macrob. 3, 5.

Æneid. 6. 795.

> —— *Jacet extra ſidera tellus,*
> *Extra anni Soliſq; vias, ubi Cœlifer Atlas*
> *Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.*

Eodem illud Senecæ referri ſolet:

in Medea v. 375.

> —— *venient annis*
> *Secula ſeris, quibus oceanus*
> *Vincula rerum laxet, & ingens*
> *Pateat tellus, Tiphyſq; novos*
> *Detegat orbes, nec ſit terris*
> *Ultima Thule.*

In quibus tamen verſibus loquitur Seneca, quod quivis Coſmographiæ gnarus, & hæc talia edoctus potuiſſet; nec neceſſe eſt, ipſi cum nonnullis vaticinationem quandam de nova hâc orbis inventione tribuere. Imò verò, ille propriè de Britannicis Inſulis intellexit, & in Claudii gratiam ſcripſit. Magis tamen in præſens huc facit,

cit, ùt videtur, quod ait Seneca Philoſophus: *Unde ſcio, an nunc aliquis magnæ gentis in abdito Dominus, fortunæ indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an paret claſſes, ignota moliens? Unde ſcio, hic mihi an ille ventus bellum invehet?* quibus manifeſtè oſtendit, magnos Reges ac gentes, ultra maria, ignotos eſſe. Clemens quoq;: ὠκεανὸς, inquit, καὶ οἱ μετ' ἀυτὸν κόσμοι. *Oceanus & mundi, qui trans ipſum ſunt.* Ita Hieronymus ex eo citat. Pomponius Mela: *Reliquæ duæ habitabiles, paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius ſitus ob ardorem intercedentis plagæ incognitus, hujus dicendus eſt.* Super hoc, ùt & ſuprà laud. Ciceronis loco conferendus omninò eſt Jo. Gerh. Voſſius de Scientiis Mathem. qui in duobus his locis de terra Auſtrali incognita agi rectiùs exiſtimat, Turnebô de America loca interpretante. Neque cetera adeò loca modò laudata, id, quod debebant, certò evicerint.

quæſt. nat. l.5. ſub fin. — *in ep. ad Cor. p.28.ed.Helm.* — *in c. 2. epl.ad Eph. De ſitu orbis l.1.c.2.* — *c. 42. §. 11. in not. p. 245. & ſeq.*

3. Quæſtio itaque nobis eſt, an veteres continentem illam Americæ habuerint cognitam, ita ut ipsâ ἀυτοψίᾳ & per transnavigationem marinam illam perluſtrârint. Ordine autem progrediemur, factô ab illis, qui ante cataclyſmum univerſi vitam egêre, initiô.

4. Illis non innotuiſſe, ex eo judicant nonnulli, quòd non probabile, jam ante diluvium tantô numerô homines ſuccreviſſe, ut omnes terræ partes habitârint, utut Opmeerus in Chronographia ex Atlantidis hiſtoria apud Platonem, aliiq; contrarium ſeriò adſtruere nitantur; de quo tamen cùm ſacra tum profana hiſtoria ſilet. & conſtat è ſcripturis genus humanum in ea eſſe conditum continente, in qua nos degimus, adeoque hanc priùs impleviſſe, quàm ad remotiſſimas illas terras excurrerent. quæ ſi ita habent, non dubium eſt, quin America illos latuerit. Conſentit nobiſcum Abraham Mylius de origine animalium & migratione populorum. *Certè non nihil eſt, quod dubios nos de eo reddat; aut potiùs non dubios, quod id non factum. Nullum ejus veſtigium præbetur ex Moyſe, aut tota S. Scriptura. Aut ſi ita fuit, latere id potuiſſet illum non multiſcium, ſed divina inſpiratione, & ex accurata, de rebus humanis, diſciplina Ægyptiorum ferè omniſcium? ſi latere non potuit, an ille id, in tam diligente traditione ejus, quod de hominum primordio & propagatione*

p. 13. & ſeq. — *p. 34.*

gatione eſt, voluit non manifeſtare? Deinde, an credibile eſt homines primos in meditullio Aſiæ ortos, inq; ea veluti incunabulis auctos voluiſſe transmigrare tam longinquè, trans maria & freta æſtuoſa, itinere multo incommodiſſimo ad ignotam terram, nec magis notum cœlum; quàm ante ſe, poſt ſe atq; undiq; circumquaq; haberent totam Aſiam, Europam, Africam, fertiliſſimas, amœniſſimasq;, ad quas facilis continuata terra patebat aditus, cùm primis illis temporibus nondum potuerit eſſe tam diffuſa hominum progerminatio, ut Europa, Aſia & Africa nimis iis fuerint anguſta? & quæ ſequuntur.

5. De colonis Americanis poſt Cataclyſmum itidem vix extabunt monumenta, quæ non ſint ſubleſtæ fidei, adeoq; novi orbis detectionem aut notitiam jure meritô ac indubitatô denegamus omnibus, qui fuerunt uſque ad Salomonis tempora. quamvis Leſcarbotus Noachum in America natum, eamq; poſt diluvium recepiſſe potiùs, quàm accepiſſe adfirmare non vereatur. de quo vid. *in Phaleg. l. 1. c. 3.* Bochartus.

6. De cetero, ad Salomonem ejusq; συγχρόνους quod attinet, Scriptores dubitandi rationem ſuppeditant non unam. Sunt, qui arbitrantur, eò quòd immenſa ipſi fuerit ſapientia, eum non potuiſſe magnæ illius terrarum partis, & quæ tot mirandorum ferax eſt, ignarum fuiſſe, & Americam potuiſſe navibus petere, ſive ex Erythræo, ſive Mediterraneo mari ejus ſolverit claſſis; cumprimis triennis, quæ ſatis eſt diutina ejus navigatio, arguere videtur, claſſes Hiromi & Salomonis in Americam excurriſſe. Johannis dos Santos in Æthiop. Orientali hæc ſententia eſt hac de re: *In Monomotapa apud Maſſapam mons eſt, nomine Fura, ſive Afura, apud quem dites aurifodinæ ſunt. In cacumine ejus rudera antiqui ex lapide ædificii, quale non alibi in tota Cafraria conſpicitur. Incolæ tradunt, eas ædes fuiſſe Reginæ Sabæ, & hanc terram ſeu Afuram eſſe Salomonis Ophir. Ibidem ſunt præſtantia ligna & pavones. Navigatio potuit triennis eſſe ob ruditatem ejus ævi & pigritiam Cafrorum.* Hactenus Santos. Cui Purchaſius contrarius eſt: *Crederem*, inquiens, *his argumentis, niſi Moſes Ophir in Orientali India collocaret.* Cui Kircherus adſentitur, exiſtimans, quòd hoc eluceat ex Onomaſtico Copto-Arabico, ubi سوفير explicetur Ophir. Aurum Parvaim ex יאוים Javaim, hoc eſt, Javis Inſulis fuiſſe, hôc enim nomine eas appellitari

tari à Rabbinis. Quæ ridet Hornius de orig. gent. americ. In Indiam Orientalẽ Ophir Salom collocat etiam compend. Hiſtor. Eccl. Goth. & inſuper probabile cenſet, mediô tempore, quo templum è fundamentis ſurrexit, navigationes illas adornatas eſſe. de iis inſignis quidam locus apud Eupolemum. verba ſunt: Davidem πλοῖα ναυπηγήσαντα ἐν Ἀχάνοις (lege Αἰλάνοις) πόλει τῆς Ἀραβίας, καὶ πέμψαι μεταλλευτὰς εἰς τὴν Οὐρφῆ (lege Οὐφρῆ) νῆσον, κειμένην ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, μέταλλα χρυσικὰ ἔχουσαν, καὶ τὸ χρυσίον ἐκεῖθεν μετακομίσαι τοὺς μεταλλευτὰς εἰς τὴν Ἰουδαίαν. quæ cum ſcripturæ verbis conveniunt omninò, niſi quòd Davidi adſcribit, quæ ejus filio, Salomoni adſcribenda fuiſſent. Hanc Ophiram, in quam Salomo ac Hiram claſſes ſuas miſerunt, in novo ſitum fuiſſe orbe Hornius, aliique multis adſtruere conantur. *l. 2. c. 8.* *l. 1. c. 2. ſect. 3. p. 200. & ſeq.* *l. l.*

7. De Ophir, quæ Arabicè أَوْفَرُ, *amplus & largus* & comp. *copioſior, amplior*. fœm. وَفْرَاءُ, Vocis origine oſtensâ, quid ſentiendum ſit, dicendum poſtea. Arabibus eſt وَفَرَ. fut. يَفِرُ *multus ac copius fuit, abundavit*, uti notant Lexicographi Arabũ, Gieuharis, qui auctor in Meſopotamia & Syria, dein in Choraſan vitam egit, ubi Lexicon ſuum edidit, & Muhametes Hirauzabadius, Vir ſtudiorum cumprimis cauſa in Arabia multos degens annos, ubi inter alia ſcriptum ſuum, *Camuſi*, h. e. Oceani nomine inſcriptum, Meccæ abſolvit. Sic 1. Pet. 11, 20. Syrus Interpres uſurpat: ܢܣܓܐ ܡܪܒܐ ܥܠܝܟܘܢ ܛܝܒܘܬܐ ܡܢ ܠܘܬ ܐܠܗܐ *multiplicabitur ſuper vos gratia à Deo.* à وَفَرَ venit وَفْرٌ, *multæ opes, opulentia*, & وَافِرٌ fœm. ة *abundans, copioſius, dives, opulentus*, &c. vid. Golius. hinc أَوْفَرُ. ſic legere eſt in Avicenna c. de ن anatomia, أَوْفَرُ مِقْدَارًا *amplior & copioſior menſura.* Exin locus auro affluens Arabicè أَوْفَرُ dicitur, quaſi *opulentiſſimum* vocares. *vid. Hott. in bibl. Orient. c. 2. p. 26.* *in Lex. Arab. p. 2705.* *l. 3. fen. 3. tract. 1. c. 1.*

8. Ter-

8. Terra Ophir eſt duplex. Una eſt in Arabia prope Sabæos, quam Joctan vel Jectan cum filiis, (quorum Gen. X, 26. ſeqq. mentio fit, quòd habitatio eorum fuerit de Meſa pergentibus, uſque ad Sepharam montem Orientis) habitaviſſe creditur à Samu-
in Phaleg. l. 2. c. 15. p. 110. ele Bocharto, ſeculi noſtri miraculo; uti à Jo. Ludov. Fabritio, Theologo Heidelbergenſi, alicubi nominatur.

9. Hæc Ophir Arabiæ in Caſſanitis fuit Ptolomæi & Stephani, quos Diodorus Siculus Gaſandes; Agatarchides autem Ca-
l. 3. Bibl. hiſt. p. 125. ſandres vocitat; ab origine חסן quod in Niphal eſt, recondere: hinc חסן *theſaurus*, *opes*, ſic prov. XV, 6. בית צדיק חסן רב *domo juſti opes multæ.* Arabes per خ, ζ, ſecundùm Bochartum, unde *gazæ* vox, Gallis *Magazin*, locus in quo reponuntur opes, Ch in g mutatô, quemadmodum *galbanum* pro חלבנה Ex. XXX, 34.
Lex. Hebr. p. 226. quod, memorante Buxtorfio, *Reſina* eſt vel *pingvedo*, cujus Plinius meminit; Græcè *χαλβάνη*; ita populi illi cognatâ voce modò *Caſſanitæ*, modò *Gaſandæ*, modò *Caſſandres* inſigniuntur.
l. 12. c. 25. in fin.

10. Audivimus terram illam ab opibus & divitiis nomen
l. 3. bibl. hiſt. p. 125. adeptam, cùm auro inprimis ſcateat, &, ùt Diodorus Siculus teſtatur, in ea regione auri glebæ multâ craſſitudine inveniantur. Verba ejus ſunt hæc: *Τὸν δὲ χρυσὸν εὑρίσκοντες ἐν τοῖς φυσικοῖς ὑπονόμοις τῆς γῆς, συνάγουσι πολὺν, οὐ τὸν ἐκ ψήγματος συντηκόμενον, ἀλλὰ τὸν αὐτοφυῆ, καὶ καλούμενον ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἄπυρον. κατὰ δὲ τὸ μέγεθος ἐλάχιστος μὲν εὑρίσκεται παραπλήσιος πυρῆνι, μέγιστος δὲ οὐ πολὺ λειπόμενος βασιλικοῦ καρύου.* ſecundùm verſionem Laurentii Rhodomani: *Magna vis auri è cuniculis à natura factis eruitur; non è ramentis colliquefactum, ſed ſponte ſuâ natum, quod ab eventu apyrum, i. e. ignis expers, nominant. Minimum ejus fruſtum nucleo modico par eſt; maximum à nuce regia non multum exceditur.* Ex quibus claret illius auri puritas, ſi licet voce iſtâ uti: quandoquidem non indigebat, ut ignis calore defœcaretur, aut per coctionem expurgaretur. Ita illud Eſai. c. XIII, 12. אוקיר אנוש מפז pro פז *οἱ ὀ* reddiderunt *τὸ χρυσίον τὸ ἄπυρον*: in quem locum Baſilius ita: *Ἄπυρον δὲ χρυσίον, τὸ μηδεμίαν ἀμφιβολίαν ὕλης ἀλλοτρίας ἔχον ἐν ἑαυτῷ, ἀλλ᾽ ὁμοῦ τὸ φανῆναι πεῖθον τὴν ὄψιν τῶν ὁρώντων, ὅτι δόκιμόν ἐστι καὶ ἀμιγὲς χαλκοῦ ἢ τινος ἄλλης ἐπιπλοκῆς. aurum*

apy-

apyrum eſt, quod nullam alienæ materiæ ambiguitatem in ſe habet, ſed quumprimum apparet, ſolô adſpectu fidem facit, ſe probum eſſe, & ab omni æris aut alterius metalli cujuscunq; permiſtione purum. Id genus aurum Græci etiam nominant *ἄπεφθον, non coctum*; ſicut è diverſo ἔυρυζον vel ὄβρυζον, aurum eſt, quod ſæpiùs deſpumavit & excoctum eſt: nam βρύειν, βρύζειν, ὀβρύζειν, de illis dicuntur rebus, quæ effervescendo ſpumam ejiciunt; inde quoque obruſſa, quæ eſt auri probatio & experimentum igne factum. ex quo intelligere datur, quid ſit aurum obryzum, & quòd multùm errent, qui cum Ophirizo confundunt, quos inter eſt Interpres Chaldæus ad Pſ. XLV, 10. qui pro auro Ophir habet: אובריזון דמן אופר *obryzum, quod eſt ex Ophir.*

11. Tanta illis gentibus auri copia ſuppetebat, quod tam parvi æſtimabant! illud autem, teſte Strabone, exinde factum eſt, quòd ejus uſum nullum nôſſent; ſcilicet torques & armillas conficiebant, reliquum ad vicinos accolas transferebant, Minæos quidem, Gebanitas, & Sabæos; & aurum cum aliis metalli ſpeciebus pari pondere permutabant, quemadmodum proavorum noſtrorum tempore, Americani orbis incolæ pro varii generis crepundiis & nugamentis, vaſis fictilibus, vitreis, cultellis, acubus, clavis, fibulis, ſecuriculis &c. aurum, margaritasq; pretioſiſſimas dabant. De Arabiæ illius incolis Diodorus. Τούτου μὲν τοῦ γένους ἐπιπολάζοντος παρ᾽ αὐτοῖς, χαλκοῦ δὲ καὶ σιδήρου σπανίζοντος, ἐπίσης ἀλλάττονται ταῦτα τὰ φορτία πρὸς τοὺς ἐμπόρους. *Ut autem hoc metalli genere abundant, ſic æris & ferri penuriâ laborant. Propterea æquali hæc auri pondere cum mercatoribus permutant.* Ex his ſimplicitatem gentis illius vides. Tam rudes & inculti fuêre Gaſandæ vel Caſſanitæ, artiumq; expertes, ut, quantumvis in ſolo degerent feraci, agrorum culturâ neglectâ, ſoli piſcaturæ operam darent, de quo Diodorus. Ἥ τε χώρα πάμφορος ἐστι καὶ διάφορος κατὰ τὴν ἀρετὴν, οὐ μέντοι τυγχάνει τῆς ἐνδεχομένης ἐπιμελείας διὰ τὴν τῶν ἁλιέων ἀπειρίαν. *Ad quodvis ibi tellus ferendum eſt idonea, & benignitate excellit: ſed per inſcientiam hominum piſcationis duntaxat peritorum, non juſtô afficitur cultu.*

loc. laud.

l. l.

12. Ab his Sabæi auri vim ac copiam indipiſcebantur, ac propterea Aelius Gallus apud Plinium Sabæos auri metallô dicit l. 6. c. 28.

eſſe

eſſe opulentiſſimos; & quoniam veteres nullas auri obſervârunt fodinas apud Sabæos, habitatores nempe Arabiæ illius felicis, arbitror Caſſanitarum, utpote Sabæis vicinorum aurum intelligendum eſſe; nam illi erant ſub imperio Sabæorum, vel aliàs aurum permutârunt cum quisquiliis horum. Ceteroquin & regioni Sabæorum ſua conſtat laus: Diodorus vocat eam χώραν θρεμμάτων παντοδαπῶν ἐκτρέφουσαν πλῆθος ἀμύθητον. *regionem oppido divitem & pecorum omnis generis longè fœcundiſſimam: totam enim*, inquit

l.3.p.125. Diodorus, *naturalis quædam fragrantia obtinet. In maritimis balſamum creſcit & caſia, aliaq́ peculiaris genû herba, quæ recenti adhuc vigore ſuaviſſimam oculis voluptatem adfert. In mediterraneis ſaltus opaci exiſtunt, inq́ his celſæ thuris, myrrhæ, palmæ, calami, cinnamomi, & aliorum ita ſuaveolentium arbores exſurgunt.* Poſt pauca: Θεία γάρ τις φαίνεται καὶ λόγου κρείττων ἡ προσπίπτουσα καὶ κινοῦσα τὰς ἑκάστων αἰσθήσεις εὐωδία. *fragrantia enim illa quorumcunq́ ſenſus exhalatione ſua percellens, omninò res divina eſt & oratione major.* His & ſimilibus terra Sabæorum magnô numero gaudet, auri fodinas autem proprias nullas habet, ſed, uti dictum, à proximis Caſſanitis, rerum permutatione factâ, potiuntur auro. Hinc, quando in ſacris Sabæorum aurum celebratur, id dictô modô intellige. ita 1.Reg.X,2.deRegina Seba dicitur: ותבא ירושלמה בחיל כבד מאד גמלם נשאים בשמים וזהב רב מאד & Pſ. LXXII, 15. ויתן לו מזהב שבא Eſ. LX, 6. כלם משבא יבאו זהב ולבונה ישאו Ezech. XXVII, 22. רכלי שבא ורעמה המה רכליך בראש כל- בשם ובכל-אבן יקרה וזהב נתנו עזבוניך: Et hæc capienda ſunt de auro Sabæo, h.e. Ophir Arabiæ. Sed nec de Ophir Indica illa Jobi c.XXII,24. interpretaberis: ושית על עפר בצר ובצור נחלים אופיר: neque illa c. XXVIII, 16. לא תסלה בכתם אופיר animadverſô, quòd acceſſus ad tam longinquas terras nondum patuerit illâ æ-

in Phaleg. lib. 2.c.27. tate: ſecundùm Sam. Bochartum enim Job Jacobo Patriarchæ penè æqualis fuit; vel, uti ὁ πάνυ Boſius, Præceptor meus honoratiſſimus cenſet in animadverſ. ad Bellarm. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, veriſimile eſt, Jobi Hiſtoriam ante legem Moyſaicam & ta-

v.Bell. de ſc. Eccl. bernaculum à Moyſe erectum contigiſſe, & eundem ac Jobabum fuiſſe; quem antiquiorem Moyſe, aut ſaltem lege Moyſaicâ & ta-

l. 9. de doctr. temp. c.20, 11. bernaculô fuiſſe, nemo facilè negaverit. vid. Petavius.

13. Por-

13. Porrò, nec illud 1. Chron. XXIX, 4. ubi David mille talenta auri Ophir obtuliſſe dicitur, de Salomonis Ophira explicandum exiſtimo, ob eam rationem, quòd Salomo cum Hiramo primus inſtituit navigationem illam; ante Salomonem autem ex alia Ophir Judææ, quàm India eſt, propinquiore, aurum ſuum puriſſimum attulerunt, ex terra ſc. Arabiæ, in qua facilè & largiter eruebatur, viliq; pretiô permutabatur, uti docuimus in præcedd. Quamvis etiam alibi locorum Arabiæ inveniatur aurum, uti Diodorus memoriæ prodit: τὴν δὲ χέρσον τὴν ἐχομένην τῆς ὀρεινῆς νέμονται, τῶν ἀράβων οἱ καλούμενοι Δέβαι. οὗτοι δὲ καμηλοτροφοῦντες, πρὸς ἅπαντα χρῶνται τὰ μέγιστα τῶν κατὰ τὸν βίον τῇ τοῦ ζώου τούτου χρείᾳ. πρὸς μὲν γὰρ τοὺς πολεμίους ἀπὸ τούτων μάχονται, τὰς δὲ κομιδὰς τῶν φορτίων ἐπὶ τούτων νωτοφοροῦντες, ῥᾳδίως ἅπαντα συντελοῦσι. τὸ δὲ γάλα πίνοντες, ἀπὸ τούτων διατρέφονται, καὶ τὴν ὅλην χώραν περιπολοῦσιν ἐπὶ τῶν δρομάδων καμήλων. κατὰ δὲ τὴν μέσην χώραν αὐτῶν φέρεται ποταμός, τοσοῦτον χρυσοῦ καταφέρων ψῆγμα φαινόμενον, ὥστε περὶ τὰς ἐκβολὰς τὴν ἰλὺν ἀποφέρεσθαι περιστίλβουσαν. οἱ δ' ἐγχώριοι τῆς μὲν ἐργασίας τῆς τοῦ χρυσοῦ παντελῶς εἰσιν ἄπειροι. *Terra montanis ſubjecta, ab Arabibus, quos Debas vocant, inhabitatur. Camelorum armentis hi paſcendis vacant: quorum uſus ad maxima vitæ negotia illis paratus eſt. Ex his contra hoſtem pugnant. Horum tergis onera vectant, & expeditè cuncta peragunt. Horum lac bibunt, hi nutrimenta eis præſtant. Dromedariis quoq; Camelis totam regionem percurſitant. Per medium fertur amnis, auri ſecum ramenta tantâ ubertate devolvens, ut limus circa oſtia ejectus rutilare videatur. Auri tamen operatio accolis prorſus incognita eſt.* Ab auro itaque *Debæ*, ab Arabica voce ذَهَبٌ, *aurum*, (à ذَهَّبَ, *inauravit*) appellabantur. *l. 3. p. 125.*

14. Verùm ſatis multa de Ophir Arabica. Aliam eamq; remotiorem Ophiram reperire eſt in India, in quam nautæ Salomonis ſingulis trienniis ſemel navigabant, & in Aelan & Aſiongaber claſſem inſtruebant, quæ aurum & argentum advehebat, ebur, ſimias, pavones, & lapides pretioſos, & ligna almuggim vel algumim, quæ thyina interpretantur, I. Reg. IX, 26. X, 11, 22. II. Chron. VIII, 18. Hanc Ophiram aliam eſſe, quàm illa, quæ in Arabia eſt, his edocemur potiſſimùm rationibus: I. Ophiram quandam eſſe *v. Bochart. l. c. & in Canaan lib. 1. c. 44.*

ſitam in India, unanimis eſt conſenſus Veterum. II. Ex hac ſola advehi potuit ebur, quippe in hac, non autem in Ophir Arabica, Elephanti reperiuntur. III. Arabia Judææ propior erat, quàm ut itineri in illam ſuſcepto, ſpatium trium annorum inſumeretur. IV. Hæc Ophir ævô demum Salomonis, ùt videtur, detecta eſt Phœnicum indiciô; altera autem jam dudum cognita, ùt ex laudatis ſcripturæ locis videre eſt.

15. Cum itaq; ſitum Ophiræ in India largiantur autores, diſquirendum ſupereſt, in quanam Indiæ parte fuerit? Ubi in diverſas eunt partes: Quidam eam in regno Pegu quærunt: quidam in Aurea Cherſoneſo, hodie nobis Malacca: alii, & quidem plûres, in India uſq; Occidentali ſeu novo quærunt Orbe, quos inter eſt Hornius: quidam in Africæ regione Cephala vel Sophala, interpretem Chaldæum ſecuti, qui Claſſem in Ophiram deſtinatam quibusdam in locis vocat ספינת אפריקא *Claſſem Africanam.* Ita Origenes quoque, teſte Bochartô, in Jobum c. XII, 24. *Φασὶ δέ τινες τῶν ἑρμηνευτῶν τὴν Σωφεὶρ τὴν Ἀφρικὴν εἶναι.* denique quidam Ophiram in Inſula Taprobana, quæ quibusdã eſt Sumatra, aliis Zeilan, quærunt, fortè & inveniunt. cui ſententiæ Bochartus, ùt & Barroſus, ac Andreas Corſalius, teſte Stuckiô, accedunt. Salmaſius poſtquam *Salas* & *Seilan* vicina nomina eſſe monuiſſet, rem ita conficit: *Situs Inſulæ Seilan, elephanti, quos gignit maximos, gemmæ & margaritæ grandiores, quas illa fert, & multa alia prorſus evincunt, eſſe veterum Taprobanam.* Ex quibus tanti Viri verbis Samueli Bocharto occaſio eſt nata ulteriùs inquirendi. Malunt viri quidam inſignes, Sumatram eſſe, inter quos Mercator, Julius Scaliger, Rhamnuſius, Oroſius, & Jo. Guilielmus Stuckius, de quo v. Bochartus.

l. 2. c. 8. de origine gentium Americanar.
Boch. in Phaleg. l. l.
Boch. in Phaleg. l. c.
Stuck. p. 92. in Scholiis ad periplum maris Erythræi.
Salm. ad Solinum p. 1119.
Boch. l. l.

16. Nobis certum eſt, Ophiram eſſe vett. Taprobanam; illam ſc. in quam Salomonis claſſes pervenerũt; & quod II. Par. III, 6. *aurum Parvaim* celebratur, non eô ablegamur ad Peruviam; ſed cum Bocharto *Parvaim* in *Taprobane* latere exiſtimandum. Nimirum Syrâ & Phœniciâ flexione *Parvain* legitur, & mutatô genere *Parvan* vel *Provan.* Videtur itaq; nomen *Taprobane* ex duabus vocibus, *thaph*, & *Parvan*, vel *Provan*, coaluiſſe; nam Arabicè طَفٌّ, طَفَافٌ طِفَافٌ & طُفَافٌ, *eſt littus, latus & ora maris,* ri-

Scal. exerc. exotericar. l. 13. de ſubtilit. ad Cardanum, p. m. 203.
Stuck. in Scholiis ad periplũ maris Erythr. p. 45. & 92.
Boch. l. c.

ripa. vid. Golius. & quòd vox hæc apud Phœnices, Ægyptios & *Lex. Arab. p.*
Æthiopes in uſu fuerit, patet ex eo, quòd urbes quædam *1465.*
maritimæ in Africa hâc voce nominentur, ùt: *Taphrura* & *Tabra-*
ca, & promontorium *Taphitis*, in Ægypto *Taphium* vel *Tapium*, urbs
ad primum Nili oſtium Syriam verſus. Et ad ſinum Abaliten in
Arriano *Tapara* emporia; ad Barbaricum *Tapatege*: Potuit itaque *Arr. in periplo*
ora illa, & littus Taprobanes, in quod mercatores egrediebantur, à *maris Erythr.*
Phœnicibus *thaph-Parvan* vel *thaph-Provan* vocari; unde vox græ-
ca *Taprobane* facta.

17. Deinde, quemadmodum *Parvaim* vel *Parvan* in voce
Taprobane latet; ita vocem priſcam, *Ophir* ſub nomine *Hippuros*,
qui eſt portus Taprobanes, abſconditam eſſe, Bochartus exiſtimat: *l. l.*
Ophir enim eſt Arabicæ vel Phœniciæ terminationis; quod nomen
Græci ſuô more in *Hippuros* deniq; transformârunt. ad hunc por-
tum *Annii Plocami libertus* appulit. Plinius: *Is aquilonibus raptus,* *l. 6. c. 22. p. m.*
præter Carmaniam XV. die Hippuros portum ejus invectus. Solinus: *259.*
Appulſus eſt ad hoc littus, portumq; invectus, qui Hippuros nominatur. *Sol. c. 4.*
aliàs, teſte Salmaſiô, in libris legitur *Ipporrus* vel *Hipporus.*

18. Hanc Inſulam Phœnices & Arabes frequentes adiiſſe, ex
eo inter alia fit veriſimile, quòd ibi cultus vigebat Dei Phœnicii,
Herculis, &, Rege exceptô, qui Bacchi habitu ſe ornabat, ceteris erat
Arabica veſtis. Et hæc *Ophir* dicta eſt ab opulentia planè ad eum *v. Bochart. in*
modum, ùt Ophir Arabiæ. in qua impoſitione Ophiræos Arabiæ, *Canaan l. c.*
filios nimirum Jectan, videntur imitati; illi enim auriferam ſuam
terram à theſauris *Ophir* nominaverant; jam jure id nominis po-
ſteà tranſtulerunt ad hanc Inſulam Indicam, è qua Salomoni &
Hiramo tantus auri proventus. Quibus accedit, quòd Phœnicibus
fuerit ſolemne, ut loca nuper à ſe detecta vetuſtis nominibus co-
honeſtarent. Sic in mari Perſico, alii Sidonii, alia inſula Tyrus, &
Aradus altera: in Spania, nova Carthago; in Bœotia alteræ The-
bæ: & in mari Cretico, altera Byblus. quæ cuncta nomina Phœni-
ces impoſuerunt. Sic hodie in Java majore cluit Hollandorum no-
va Batavia. Eadem hæc Ophir ſeu Taprobane apud Hebræos alia
quoq; habuit nomina: *Paz* audit Cant. V, 1. & *Uphaz*, Dan. X, 5. &
Jerem. X, 9. harum appellationum veſtigia ſunt in ſinu Paſi & Phaſi,
amne Taprobanes, quorum meminit Ptolomæus. *p. 179. vet. edit.*

19. Jam diſpiciemus, an eæ merces, quarum in ſacris mentio fit, reperiantur in Taprobane ſive Zeilan. de quibus audi veteres & recentiores Scriptores: De metallis & lapidibus Inſulæ Taprobanæ Plinius ita: *Megaſthenes ſcribit, auri & margaritarum grandium eſſe fertiliores, quàm Indos.* Solinus: *Margaritis ſcatet & gemmis.* Arrianus: Γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ πινικὸν καὶ λιθία διαφανής. *In ea naſcitur Pinicum, lapides pellucidi.* Ptolomæus: *Ibi beryllus, hyacinthus & univerſorum metallorum genera, auri & argenti & aliorum.* De metallis & lapidibus Inſulæ, recentioribus Zeilan dictæ, Mercator hunc in ſenſum: *Auri & argenti, ceterorumq; metallorum fodinas habet.* Oroſius: *Multi pretioſiſſimi lapides, gemmæ incredibili multitudine, ſingulari colore atq; fulgore.* Vartomanus: *Inveniuntur & innumeri pretioſi lapilli; hyacinthi præſertim.* Haythonus Armenus: *Eſt quædam Inſula, quæ vocatur Celan, & in illa inveniuntur lapides, qui vocantur rubini & ſapphiri.* De animalibus Taprobanæ Ptolomæus: *Elephantes gignit & tigres.* Solinus: *Elephantis repleta eſt majoribus multò quàm fert India.* Ælianus, ſecundùm Petri Gill. Galli & Conradi Geſneri Helvetii interpretationẽ: *Permultorum & valde grandiũ elephantorũ paſtiones in ea inſula vigent. Ac nimirum hi inſulani Elephanti animi robore, & ingenii indole, & corporis magnitudine eis, qui in continenti degunt præſtantiores exiſtimantur.* De animalibus inſulæ Zeilan Oroſius hunc in modum: *Miram elephantorum copiam nutrit.* Vartomanus: *Fert regio inprimis elephantos quamplures.* Jo. Petrus Maffeius: *Elephantes gignit egregiè bellicoſos ac dociles.* Stuckius: *Elephantos nutrit optimos, maximos, ingenioſiſſimos, quibus reliqui Indiæ elephantes feruntur obedire.* Idem Stuckius ſcribit commentario in Arrianum, etiam Pavonibus ſcatere; & in Cherſoneſo proxima magni pretii cercopithecos eſſe memoriæ prodit Ludovicus Vartomanus. Quæ cùm apprimè cum Salomonis mercibus conveniant, non dubitamus, Salomonem in Inſulam Taprobanam ſeu Zeilan navigationem ſuam ſingulis trienniis ſemel inſtituiſſe cum Hiramo, non autem in orbem Americanum. quibus accedit, quòd orbis ille absq; pyxide magnetica ferè ſit ἀπρόσιτος, de qua, occaſione datâ, in ſeqq. Nunc ad alia.

l. ſuprà l. p. 258.
Arr. in periplo maris Erythr. ferè circa fin.
Ptol. p. 212. ed. Lugd. Batav. ſecundùm vet. edit. p. 179.
Hayth. in hiſt. Orient. c. 6.
Ptol. l. l.
l. 16. c. 18. p. 928. ſeq. ed. Lugd.
l. 3. hiſtoriarũ Indicarum p. 34. edit. Colon. Agripp.
Stuck. l. ſuprà laud.

20. Et quidem ad loca quædam veterum, Æliani nempe, Platonis, Diodori Siculi, & Ariſtotelis, deſcribentium orbem

quen-

quendam incognitum, quem pro Americano habent quamplures, inter quos Lipſius, Goropius Bec. Acoſta, Lanſius. &c. *Phyſiol. Stoic. l. 11. diſp. 19.*

21. Non autem diffitendum eſt, occurrere aliquando, ùt ſolet aliàs apud nonnullos Græcos, quæ fabulis, quàm vero ſunt propiora. Sic apud Ælianum, Silenus Midæ recenſet: Continentem unam extra mundum hunc eſſe, ejusque tractum, quem ἄπειρον vocat, animalia grandia, hominesque duplō majores iis, qui hunc habitant, ac ætate penè tres noſtrorum ſuperent, alere, duas urbes in ea eſſe magnitudine maximas. de quibus Ælianus ita: καὶ τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Μάχιμον, τὴν δὲ Εὐσεβῆ· τοὺς μὲν οὖν εὐσεβεῖς ἐν εἰρήνῃ τε διάγειν, καὶ πλούτῳ βαθεῖ &c. Οἱ δὲ τῆς Μαχίμου πόλεως μαχιμότατοί τέ εἰσι καὶ αὐτοὶ, καὶ γίνονται μεθ᾽ ὅπλων καὶ ἀεὶ πολεμοῦσι &c. εἰσὶ δὲ οἱ οἰκήτρες οὐκ ἐλάττους διακοσίων μυριάδων. ἀποθνήσκουσι δὲ τὸν μὲν ἄλλον χρόνον νοσήσαντες, σπάνιον δὲ τοῦτο· ἐπεὶ τά γε πολλὰ ἐν τοῖς πολέμοις, ἢ λίθοις, ἢ ξύλοις παιόμενοι· ἄτρωτοι γάρ εἰσι σιδήρῳ· quæ Latinus interpres vertit hunc in modum: *Altera* (Urbs) *dicitur Machimus i. e. pugnax; altera* εὐσεβὴς *i. e. pia. Pios igitur in pace vitam agere, & amplisſimis opibus &c. qui verò Machimum urbem incolunt, bellicoſisſimi ſunt, & arma induti; bella ſemper gerunt* &c. *Cives in ea ſunt non pauciores ducentis myriadibus. moriuntur aliàs ægrotantes, quod perrarò accidit; ſiquidem in bellis plerumque lapidibus aut fuſte percutiuntur, nam ferrò non poſſunt vulnerari.* Commemoratur porrò: eſſe in inſula illa fluvios duos, alterum voluptatis, triſtitiæ alterum. & ad utrumque plantatas eſſe arbores; quæ ad flumen triſtitiæ ſunt, tales producere fructus, ut quicunque iis veſcatur, is totum vitæ ſuæ curriculum flendo, lugendoque inſumat, eoque vitam claudat. E contrà, alteras arbores ad flumen voluptatis natas, ejusmodi protrudere fructus, ut, qui de iis comedat, in riſus ac lætitias ſolvatur, imò, ùt Ælianus: *l. c.* γίνεται κατὰ βραχὺ νεώτερος καὶ τὰς φθανούσας ἡλικίας, καὶ τὰς ἤδη διελθούσας ἀναλαμβάνει ὀπίσω· τὸ μὲν γὰρ γῆρας ἀποῤῥίψας, ἐπὶ τὴν ἀκμὴν ὑποστρέφει, εἶτα ἐπὶ τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν ἀναχωρεῖ, εἶτα παῖς γίνεται, εἶτα βρέφος, καὶ ἐπὶ τούτοις ἐξαναλώθη. *Paulatim fit junior, atque præcedentem ætatem & jam transactam retrò agit ac reſumit, abjecta enim Senectute ad vigorem ætatis*

in Hiſp. l. 7. H. Nat. Ind. l. 1. c. 11. & 12. In Conſult. contra Hiſp. p. m. 411. var. hiſt. lib. 3. c. 18.

tatis revertitur, deinde adoleſcentiam induit; tum pueritiam, poſtremò fit infans, & ſic deniq; expirat. Ecquis non & heîc nugas trabales advertit? eas huc contuliſſe in præſens ſat eſto.

p. 525. edit. Lugd. 22. Apud Platonem in Timæo legimus, veteres Athenienſes præ ceteris omnibus quoquô virtutum genere excellentes, olim innumeris reſtitiſſe hoſtium copiis ex Atlantico mari profectis. fuiſſe incolas inſulæ Atlantidos, quæ extra columnas Herculis ſita, tantæ ſit magnitudinis, quâ Aſiam ſimul & Africam ſuperet. Ex hac inſula, prodiiſſe Reges potentisſimos (potentiam eorum Plato μεγάλην καὶ θαυμαστὴν δύναμιν vocat) longè lateq; imperantes, etiam noſtræ continenti, quippe Libyæ usq; ad Ægyptum, & Europæ usq; ad mare Tyrrhenum. Horum gravius imminenti violentiæ Athenienſes, bellicis tum artibus claros; partim ſolos, partim conjunctis Græcorum viribus maſculè ſeſe oppoſuiſſe, ac boni publici ergò nulla non diſcrimina ſubiiſſe. Poſt idem addit Plato: Σεισμῶν ἐξαισίων καὶ κατακλυσμῶν γενομένων, μιᾶς ἡμέρας καὶ νυκτὸς χαλεπῆς ἐλθούσης, τό, τε παρ' ὑμῶν μάχιμον πᾶν, ἀθρόον ἔδυ κατὰ γῆς, ἥτε Ἀτλαντὶς νῆσος ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης δῦσα ἠφανίσθη· διὸ καὶ νῦν ἄπορον. καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε τοὐκεῖ πέλαγος, πηλοῦ καταβραχέος (rectiùs καταβραχέως, ùt vult Voſſius *de ſcientiis Mathem. p. 131. 243.*) ἐμποδὼν ὄντος, ὃν ἡ νῆσος ἱζομένη παρέσχετο. *Ingenti terræ motu, jugiq; diei unius & noctis illuvione factum eſt, ut terra dehiſcens veſtros illos unà omnes bellicoſos homines abſorberet, & Atlantis Inſula ſub vaſto gurgite mergeretur. quam ob cauſam innavigabile pelagus illud propter abſorptæ inſulæ limum relictum fuit.* Similia de Atlantide ſubmerſa invenies in Critia ſive Atlantico.

23. Ceterùm; hoc quæri videas, utrum, quæ recenſet Plato de Atlantide, pro vera ipſe, aliiq; veteres hiſtoria habuerint, an pro fabula? *p.m. 828.* Prius nobis videtur, cùm, uti Ficinus in argumento Critiæ obſervavit, quotiescunque fingit, & ex ſe comminiſcitur aliquid, id reticere non ſoleat. In Timæo verò narrationem hancce rem admiratione quidem dignam, ex vero tamen petitam hiſtoriam vocat, ac res illas geſtas dicit diuturnitate temporis, hominumq; interitu obliteratas; easdem Sacerdotes Ægyptios Soloni ſeptem ſapientum ſapientisſimo; hunc Critiæ Seni; Critiam nepoti Critiæ

nar-

narrâſſe. Deinde Proclus Marcelli cujuſdam de rebus Æthiopum hiſtoriam adducit ac in ea hæc Æthiopum geſtis inſerta fuiſſe firmat; 3. Non Crator modò, primus omnium Platonis interpres, verùm Origenes etiam pro vera hæc agnovit hiſtoria, quem Porphyrius, Proclus, aliiq; ſecuti ſunt. Suſpectam tamen reddit narrationem Platonis, quòd is dicat, eam ex Ægyptiorum opinione ante novem annorum millia contigiſſe; Ad quod Gerh. Jo. Voſſius reponit, Ægyptios ſuorum annos Regum, qui diverſis Ægypti regionibus eôdem tempore imperium tenuêre, ita numerâſſe, tanquam ſi ἐφεξῆς alius poſt aliumvixerit: ex quo calculo tantus annorum numerus ortus eſt.

Orig. t. 2. p. 860.
Pr. p. 54. ſeq.
l. 1. de idololatriæ orig. & progr. ſ. potiùs de Theol gent. & Phyſ. Chr. l. 1. c. 28.

24. Hoc quidem ſilentiô prætereundum non eſt, quòd teſtimoniô Platonis de Inſula hac ſubmerſa utantur alicubi & Patres. Jactabant olim gentes, vaferrimi Chriſtiani nominis hoſtes ac infamatores, cauſam reipublicæ Romanæ labantis, quin imò cladium urbi & orbi tum illatarum, eſſe Chriſti doctrinam in omnes terras propagatam, diffuſamque; hinc Deos ſuccenſere nimiopere, ut omnes promiſcuè maximis cladibus ac calamitatibus involvant. Cui calumniæ retundendæ Paulus Oroſius ſuô tempore hortatu Auguſtini oppoſuit ſatis notum opus illud hiſtoriarũ, quod quidam vocant Ormeſtam mundi ſive Hormeſtum, ὁρμαθὸν ἢ ὁρμαςὸν, *qua de re multa divinando*, verba ſunt Phil. Labbei, *protulit Voſſius*. Parilem in modum alii jam ante Oroſium paſſim in ſuis ſcriptis. Arnobius Afer, de ſententia Lipſii, Chriſtiani nominis ſcriptorum quaſi Varro, libros ſeptem adverſus gentes edidit contextos ferè de teſtimoniis ipſorummet gentilium. is illorum primò calumniæ genticæ, quam dixi, vanitatem commonſtrat ex hoc ipſo loco Platonis: *ut ante millia*, inquit, *annorum decem, ab inſula, quæ perhibetur Atlantica Neptuni, ſicut Plato demonſtrat, magna erumperet vis hominum, & innumeras funditus deleret atq; extingueret nationes, nos* (Chriſtiani) *fuimus cauſa?* Huic planè eſt ὁμόψηφος Tertullianus: *Oro vos, ante Tiberium, i. e. ante Chriſti adventum quantæ clades orbem & urbem ceciderunt? Legimus, Hierapolin & Delon & Rhodon & Coon inſulas multis cum millibus hominum pesſum abiiſſe. Memorat & Plato, majorem Aſiæ & Africæ terram Atlantico mari ereptam. Sed & mare Corinthium terræ motus ebibit.* &c.

t. 2. diſſ. hiſt. de Script. Eccleſiaſt. p. 177.
l. 1. adv. gentes p. 5. edit. Lugd. Batav.
c. 40 Apologet. adverſus gentes.

& vis undarum Lucaniam Italiæ abſciſam in Siciliæ nomen relegavit, hæc utiq; non ſine injuria incolentium accidere potuerunt. Ubi verò tunc, non dicam, Deorum veſtrorum contemtores Chriſtiani, ſed ipſi Dii, cum totum orbem cataclyſmus abolevit?

25. Gemina habet in de Pallio c. 2: *Idem* (ſermo autem ipſi eſt de eo, quòd omnia ſuas viciſſitudines patiantur, & ipſe totus orbis aliquando mutet) *mutat & nunc localiter habitus: cùm ſitus læditur, cùm inter inſulas nulla jam Delos, harenæ Samos, & (ſi ille non mendax) Æon in Atlantico, Libyam aut Aſiã adæquans quæritur nunc.* In hæc verba exhibet hunc locũ Pamelius. Adrianus Turnebus aliter legit: *Nulla jam Delos, Rhene, Samos; & illa, ſi non mendax Plato, in Atlantico Libyam & Aſiam adæquans quæritur nunc.* Jac. Pamelius: *Veriorem*, inquit, *puto lectionem: & ſi ille non mendax, Plato nempe, cujus paulò antè facta eſt mentio.* Quòd verò Atlantis à Tertull. *Æon* vocatur, conjectat idem archidiaconus Audomaropolit. factum eſſe propterea, ut εἰρωνικῶς alluderet Æonas Valentinianorum figmentis plenos, è ſchola nimirum Platonis profectos.

Turn. l. 20. Adverſ. c. 11.

In not. ad h. l.

26. Num hi Patres illa Platonis in veris habuerint, an κατ' ἄνθρωπον, quod dicitur, & ἐξ ὑποθέσεως contra gentes diſputârint, nunc non diſceptabimus. unum modò atq; alterum ad h. l. ex Salmaſio meliùs edocebimus: nam ut & Pamelius & Turnebus, veterem lectionem: *& Sibylla non mendax*; reformarent, corrigendo: *& ſi ille non mendax*; vel, *& illa, ſi non mendax Plato*: ut inquam, ita reformarent vet. lectionem, nulla prægnans adeò fuit ratio; cùm omninò ex Sibyllino oraculo videantur hæc Tertulliani depromta, quod patet ex collatione: Sibyllini oraculi verſus eſt hic:

—— —— Καὶ Δῆλος ἄδηλος,
Καὶ ψάμαθος Σάμος ἔςι· —— ——

Quæ verbatim reddita Latinè ferè ipſa Tertulliani ſiſtent verba: Δῆλος ἄδηλος, Delos evanuit quaſi, eſt nulla, ψάμαθος Σάμος, harenæ Samos.

27. Deinde commentitia dixeris, quæ Pamelius adfert de ironica Tertulliani alluſione ad Æonas Valentinianorum, cùm vox *Æon* in textum, ùt hodiè communiter loquuntur, irrepſerit, non ſit à Tertulliano ipſo. Pro iſto verbi portento Codex Salmaſianus le-

legit *cum*: quam veriſſimam judicat lectionem, ſuſpicatus inſuper, fuiſſe in codicibus, quibus uſus eſt Rhenanus in ſua editione accuranda, *eum*, aut *æon* pro *cum*, ut ſubinde generatus ex illo ſit *æon* iſte. non pigrabimur, locum hunc, ut Criticorum aquila, Salmaſius eum conſtituit ac diſtinxit, adſcribere: *Mutat & nunc localiter habitus, cum ſitus læditur: cum inter inſulas nulla jam Delos, harenæ Samos, & Sibylla non mendax: cum in Atlantico Libyam aut Aſiam adæquans quæritur*. ita & noviſſima editio Tertull. habet, quam Nic. Rigaltius edidit Lut. Pariſiorum. *in notis ad hunc librum p. 103.*

28. Ex recentioribus Jacob. Pamelius ad locum ſuprà laudatum ex Hugone Blotio, & Becano ita definit, ut Platonem veris falsa miſcuiſſe huic narrationi de inſula Atlantide, quæ ipſi eſt America, arguat. falſis accenſet, quod tradidit, mare ex inſula dd. ll. ſubmerſa factum eſſe vadoſum, & à ſcopulis intutum; cùm Chriſtophorus Columbus ex Hiſpaniis eò ſolvens, etſi in mari illo per iter dierum aliquot tantam graminis ubertatem invenerit, ut ſibi videretur in pratis potiùs, quàm undis navigare, nullos tamen ſive ſcopulos, ſive vada offenderit. Veram Platonis narrationem habet ex ea parte, qua magnitudinem inſulæ Atlanticæ memorat. plura vide sîs apud ipſum d. l. Nobis quid videatur, dicemus, poſtquam his unum atque alterum ex Vett. locum ſubjunxerimus. *not. ad Apolog. Bec. Orig. Antverp. l. 5.*

29. Diodorus Siculus Phœnicum crebras mercaturæ gratiâ inſtitutas navigationes commemorans narrat, eos extra columnas quoq; Herculis excurriſſe in mare, quod oceani nomē habet, ac primùm penes fretū ad columnas urbē, Gades nuncupatā condidiſſe. Hâc deinde ratione Phœnices, inveſtigatâ ultra columnas orâ, cùm Africæ littora legerent, ventorū vi ad loginquos in Oceano tractus defuiſſe abreptos, donec tandem claſſis ad inſulam, quam modò deſcripſerat hiſtoricus, appulſa eſſet. Cujus indolem ac fertilitatem, cùm exploraſſent, aliis, Tyrrhenis nimirum, famâ tantæ regionis illectis & eodē commigrantibus, maſculè obſtitiſſe Carthaginienſes, cùm ſibi ſolis locū illum in hypobrychio, ſi licet ita cum Tertull. loqui, irreſpirabili, in refugium paratum eſſe vellent; Confiſi, ſe maris potentes adhuc, in inſulam victoribus ignotam cum univerſis familiis ita transmigraturos incolumes. *l. 5. Biblioth. p. 299. 300. edit. Hanov. anno 1604. p. 208. edit. Steph.*

vid. Ariſt. p. 706. edit. Is. Caſaub. t. 1.

30. Similia ferè auctor libri mirabilium Auditionum, qui Ariſtoteli à nonnullis tribuitur, habet: Ἐν τῇ θαλάσσῃ τῇ ἔξω Ἡρακλείων στηλῶν φασὶν ὑπὸ Καρχηδονίων νῆσον εὑρεθῆναι ἐρήμην, ἔχουσαν ὕλην τε παντοδαπὴν (παντοδαπῇ) καὶ ποταμοὺς πλωτοὺς, καὶ τοῖς λοιποῖς καρποῖς θαυμαστὴν, ἀπέχουσαν δὲ πλειόνων ἡμερῶν· ἐν ᾗ ἐπιμισγομένων τῶν Καρχηδονίων πλεονάκις, διὰ τὴν εὐδαιμονίαν, ἐνίων γε μὴν καὶ οἰκούντων, τοὺς προεστῶτας τῶν Καρχηδονίων ἀπείπασθαι θανάτῳ ζημιοῦν τοὺς εἰς αὐτὴν πλευσομένους, καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας πάντας ἀφανίσαι, ἵνα μὴ διαγγέλλωσι, μηδὲ πλῆθος συστραφὲν ἐπ' αὐτῶν ἐπὶ τὴν νῆσον κυρίας τύχῃ, καὶ τὴν τῶν Καρχηδονίων εὐδαιμονίαν ἀφέληται. *Extra columnas Herculis ajunt in mari à Carthaginienſibus inſulam fertilē, deſertamq́ inventam, ut quæ tam ſilvarum copiâ, quàm fluminibus navigationi idoneis abundet, cùm reliquis fructibus floreat vehementer, diſtans à continente plurium dierum itinere: in qua, cùm Carthaginienſes quidam ob Soli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpiſſent, ferunt, præſides, ne quis deinceps Inſulam ingrederetur, pœnâ capitis interdixiſſe, incolasq́ ejeciſſe, ne coitione (ſi habitare iſtic pergerent) factâ; inſulæ principatum conſequerentur, Carthaginienſes eâ felicitatis parte privarent.*

31. Inprimis eximia ſunt, quæ leguntur apud Feſtum Avienum, qui Gratiani ac Theodoſii temporibus floruit, in carmine Jambico de oris maritimis ad Probum Conſularem ſcripto. Inibi poſtquam de Albionis inſula & Hibernia egiſſet, ita porrò exequitur:

Tarteſſiisq́ in terminos Oeſtrumnidum
Negotiandi mos erat: Carthaginis
Etiam Coloni, & vulgus inter Herculis
Agitans columnas, hæc adibant æquora:
Quæ Himilco Pœnus menſibus vix quattuor,
Ut ipſe ſemet rem probâſſe rettulit,
Enavigantem poſſe tranſmitti aſſerit.
Hic nulla latè flabra propellunt ratem:
Sic ſegnis humor æquoris pigri ſtupet.

Ad-

Adjicit & illud: plurimum inter gurgites
Extare fucum, & ſæpè virgulti vice
Retinere puppim. Dicit hîc nihilominus,
Non in profundum terga dimitti maris,
Parvoq; aquarum vix ſupertexi ſolum:
Obire ſemper huc, & huc, ponti feras
Navigia lenta, & languidè repentia
Inter natare belluas.

Quæ ſingula Gerh. Voſſius in de Philol. fuſiùs alibi expenſurum *C. 11. §. 27.*
ſe promiſit. Addatur Plinius. Et hæc ex antiquitate viſum eſt de *p. 64.*
celebri Atlantidos Inſula, quam Americam eſſe multorum eſt o- *Pl. Nat. hiſt.*
pinio, proferre. *l. 2. c. 92.*

32. At enimverò vix mihi perſuadeo, ex iis locis ſolidè probari poſſe, vett. Americam ingreſſos eſſe. Arbitror potiùs, poſt natum demum Dei Filium Gentes colonias in remotiores illas inſulas, ac in novum orbem tranſtuliſſe, ſive mari, ſive pedeſtri itinere in Americam migrârint. Conjecturam hancce firmant ſequentia. Primò: Silentium Scripturæ & Patrum, de Evangelio Americanis prædicato. Apoſtolus is, qui plùs omnibus laboravit, Col. II. comm. 23. audet adſeverare, jamdum ſuô tempore Evangelium de Chriſto eſſe prædicatum omni, quæ ſub cœlo eſt, creaturæ. Ergò & Americæ, ſi qui ejus incolæ fuerunt. At quî tantum ἀξιομνημόνευτον ſcriptura S. quæ hôc multò minora Apoſtolorum itinera non reticuit, tam altô ſilentiô præterire potuit, utut non ſit res ad ſalutem noſtram creditu neceſſaria? Immò, licèt reticuiſſet, non tamen illorum temporum homines, Patres inprimis Eccleſiæ res tam memoranda fugere potuiſſet, nec rei, ut ad poſteros transmittatur, dignisſimæ dignitas tam altum ſilentium admiſiſſet. Clemens quidem Apoſtolorum ætati ſuppar, in priori ad Cor. epiſtola, ſcripto ἀναμφισβητήτῳ (ùt Pa-
tricius Junius illud appellat, quodq; tot retrò ſeculis deſidera- *in epiſt. ded. ad*
tum, expetitumq; ex Bibliotheca Regia Anglicana in lucem edi- *Regem Angl.*
dit) ait: Ὠκεανὸς ἀνθρώποις ἀπέρατος, καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι.
(mavult Vir laud. ἀπέρατος, quâ ratione Ruffinus, Originis in- *in notis ad h. l.*
terpres vertit: *intranſibilis & intransmeabilis*; quamvis & apud

l.5. Strom. p. 586. Clem. Alexandrinum legas *ἀπέρατος*). Aſt ex eo contra nos nihil conficitur: non enim dicit Clemens: In mundis illis trans oceanum, Apoſtolicum verbum eſſe auditum; ex quo ſequeretur, tum homines ibi fuiſſe: & ſi vel maximè hoc diceret, per *Oceanum* tamen Junius aliud nihil intelligi exiſtimat, quàm τὴν ἔξω θάλασσαν, nec illam omnem; ſed ſolummodò mare Britannicum ac Hibernicum, quod veteribus, etiam Clementis noſtri *hom. 4. in hexaem.* tempore, propemodum impervium erat. quod adeò verum eſt, ut Baſilius longè poſt Clementem, idem ipſum pelagus πλωτῆρσιν ἀτόλμητον vocet. Libanius idem mare propter æſtus contrarios ac ventorum vim & impreſſiones quaſi, æquè ùt noſter, nominat *ἀπέραντον*, ſi non & illic *ἀπέρατον* legendum. Verba ejus *p. 140, 141. edit. Lutet.* in Baſilico ſic habent: Ἔστι δὴ λόγος μάρτυρας τὰς ὄψεις παρεχόμενος, ὡς ἄρα μεῖζον εἰς κίνδυνον, πλοῖον στρογγύλον ὑπὲρ ἐκείνης ἀφεῖναι τῆς θαλάττης, ἢ ναυμαχίαν ἑτέρωθι συστήσασθαι, οὕτω λαμπραὶ μὲν καταιγίδες εἰς οὐρανὸν κυρτοῦσι τὰ κύματα· ἐξῶσται δὲ ὑπολαμβάνοντες ἄνεμοι, πρὸς ἀπέραντον ἐκφέρουσι πέλαγος· τὸ δὲ δεινότατον, ἐπειδὰν γὰρ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ὁ κυβερνήτης ἀντιστήσῃ τὴν τέχνην, ὑπονοστεῖ μὲν ἐξαίφνης ἡ θάλαττα· ἡ δὲ τέως μετέωρος ὑπὲρ τῶν κυμάτων ὁλκὰς ἐπὶ ψιλῆς ὁρᾶται τῆς ψάμμου κειμένη· καὶ εἰ μὲν ὀξεῖαν ἀντaποστείλῃ τὴν παλίρροιαν, ἀναλαμβάνει τε αὖθις τὸ σκάφος· καὶ δεῖ τὰ λοιπὰ πονεῖν τοὺς ἐμπλέοντας· ἢν δὲ μελλήσῃ πρὸς τὴν ἐπάνοδον, δύεται κατὰ μικρὸν τὸ πλοῖον, ὑπεικούσης πρὸς τὸ ἄχθος τῆς ψάμμου· Federicus Morellus ita tranſtulit: *Eſt autem ſermo teſtes oculatos exhibens, quô firmatur majus inſtare periculum, cùm rotundum navigiũ ſuper illo mari mittitur, quàm cùm navalis alibi pugna conſeritur, adeò vehemẽtes procellæ fluctus ad cœlũ ſuſtollunt, & Exoſtæ ſævi ſuſcipientes venti ad immenſum pelagus detrudunt. Hoc verò graviſſimum eſt, quòd poſtquam aliis omnibus gubernator arte & induſtriâ obſtitit, æſtu repentino mare in ſe regeritur: interim navis fluctuum vi in ſublime elata, ſtatim in nuda jacere cernitur arena: ac ſiquidem celerem remiſerit refluxum, reſumit denuò ſcapham, & vectores deinceps laborare opus eſt. Quod ſi cunctatum fuerit mare ad refluxum, paulatim cymba mergitur, ſabulô oneri cedente.*

33. Τῶν κόσμων autem nomine apud Clementem de ejusdem Patricii Junii ſententia gentes Britannicæ intelligendæ veniunt, & populus, qui inſulam incolebat; vel inſula ipſa, quæ propter magnitudinem, mundi alterius nomen meretur, & à reliquo orbe, tanquam orbis alter, oceano diviſus eſt. *l. ſuprà l.*

34. Quod ſi nunc mare Britannicum tam feris etiam temporibus fuit ἀπέρατον, ecquid quæsò de navigatione in Americam erit ſentiendum? Huc facit ſecundò: Vett. Geographorum in novo hoc orbe deſcribendo ſilentium. Pomponium Melam ſanè, dum ſingulas orbis partes, & ut quæq; clariſſima, ſtrictim quidem, ſed accuratè perpendit, illius ne verbulô meminiſſe conſtat.

35. Tertiò: Tantæ gentium transmigrationes non fuêre ante Chriſtum natum, quantæ extitêre demum poſtidem, quando totus ſeptentrio, quem, ut Scanziam ſuâ opinione inſulam Jornandes Epiſcopus Ravennas de Getarum ſive Goth. orig. & rebus geſtis, *officinam gentium & vaginam nationum*, probè appellaveris, immenſam barbararum gentium colluviem in vindictam ſuppreſſi Evangelii, & contemtim habitæ ſalutis, ejecit, terrasq; concuſſit. *c. 4. p. 613.*

36. Quartò: Demum poſt Chriſtum natum, & à modo indicatâ infelici ætate, remotiores inſulæ antehac vaſtæ & incultæ, ab hominibus occupatæ leguntur: Exemplo nobis ſit Japonia, regio certè ampliſſima, urbibus, regnisq; ſplendidiſſima hodiè, cujus ſolum ſatis fertile à natura, memorante Turſellino & Varenio, quæq; omnia, quæ ad vitæ ſuſtentationem requiruntur, in ſe ipſa habet, ut inquit Caronius, adeò ut nulla in India regio ſit, quæ cœli ſalubri temperie, fertilitate & argenti copiâ eam ſuperet, ſi Hagenero credimus. Illa tamen (referente Xaverio) ſexcenteſimo demû, & quod excurrit, abhinc anno incoli cœpta eſt à Chinenſibus. Islandiam Norvvegi anno Domini 874. teſte Arngrimô Jonâ, primitùs occupaverunt. Gronlandiæ Ericus Ruffus primus, ut nonnulli quidem volunt, inventor, ὀνομαθέτης, ac incola fuit anno Domini 982. idem apud Latium. Confer. Grotius, apud quem Herrera ait, authores gentis Mexicanæ mare tranſiiſſe circa annum Domini 820. poſteà novem populos diſtinctis temporibus è Septentrione veniſſe, &c.

Turſ. de vita Xaverii, l. 4. p. 152.
Var. in deſc. Iap. p. 13.
Lat. de orig. gent. americ.
Grot. in diſſ. alt. de orig. gent. americ. p. 7. & 8.

37. Quintò: Huc facere videtur illud, quòd primus Perua- norum

norum Rex, Mancocapacus dictus, urbis Cuſco conditor, 400 cir-
Lat. p. 67. &c. citer annis ante Hiſpanorum adventum regnâſſe dicatur. Georgi-
us Hornius, libris quatuor Americanarū gentium originem oſten-
ſurus, trium gentium migrationum in Americam, antiquiſſimæ
Phœnicum, de qua ſuprà; ſecundæ Scytharum, & tertiæ Chinenſi-
um, mentionem facit; quarum duæ poſteriores prædicatô Chriſtô
ſine dubio ſunt recentiores.

38. Sed nec, quod ſexto loco addimus, erat neceſſe, ut ante natum Chriſtum in tam remotas à noſtro orbe terras penetrarent; quippe cùm ipſius noſtri orbis partes interiores ſuos adhuc deſiderarent cultores. At verò, quantò faciliùs, propiusq; iter hoc fuerat, quàm illud in novum orbem? Quis neget, Norvvagos, aliosque patriô ſolô cedere coactos, maluiſſe propinquam occupare Germaniam, quàm ad inſtar canis Æſopici incerta captare. Sicut Piccartus tradit, Majores noſtros ex Perſis oriundos, *Saxonesq́;* quaſi *Sacarum Sones*, h. e. filios dictos, ex Aſia poſt mortem Alexandri migrâſſe in Germaniam, &c. Ita Myſos cum Tyrigetis i. e. Getis ad Thiram fluvium colentibus circa annum Dom. CC. exiiſſe, ac poſt varios errores Miſniam ab ipſis ita dictam inſediſſe, refert
vom Meiſner Reiner. Reinecc.
Herkommen.

l. 2. c. 2. 39. Septimò: Magnetis uſus antiquis temporibus nullus fuit; quô inventô tamen magnum rei nauticæ, fatente Horniô, momentum acceſſit. Sed mox ſubjicit, alia veteribus fuiſſe ſubſidia, cumprimis Tyriis, utut illa, ac multa alia, nobis ſint incognita. Verum eſt, fuerunt utiq; Tyriis rei nauticæ peritiſſimis ſua in mari ſcrutando ſubſidia. An verò ejusmodi fuerint, ut in immenſis adeò impetuoſi maris illius viis emetiendis ſufficere, atq; defectum pyxidis nauticæ utcunq; ſupplere potuerint, hoc verò quæſtioni eſt.

in Miſcell. l. 4. c. 19. 40. Nicolaus Fullerus multus in eo eſt, ut Ἡρακλεία λίθῳ ab Hercule (qui antiquitùs quoq; Ἡγεμὼν, *via dux*, eſt cognominatus) indidiſſe nomen Tyrios, veterrimos Herculis cultores, ac ſtrenuos olim univerſi hujus luſtratores, probet, & p. m. 548. probabilem exiſtimat conjecturam eorum, qui dicunt, pyxidem nauticam Salomonis eſſe inventum, ab eoq; myſterium accepiſſe Tyrios; quippe Salomonem ex incomparabili illa totius naturæ ſcientia à Deo inſpirata, non vulgarem illam ac pervagatam tantùm Magne-

tis

tis vim attrahendi ferri; ſed etiam abſtruſiorem hanc, longeq; potiorem, & inſtituto ſuo plus conducibilem, auroq; ac aromatis ex remotiſſimis Indiæ oris claſſe advehendis ſummè neceſſariam ſciviſſe.

41. At verò uſum lapidis heraclii Tyriis tempore Salomonis innotuiſſe, parùm videtur credibile, ac Fulleri ſententia nonniſi incertâ nititur ratione. Et, ut à nomine faciamus initium, negatur etiam, quòd Tyrii illi lapidi ab Hercule, quem ceu Deum venerabantur, propter vim ac virtutem ἡγεμονικὴν, quâ pollet, nomen dederint.

42. A Græcis autem lapidem illum Ἡράκλειον dici, Claudius Ptolomæus, inſignis Philoſophus, &, ut Fullerus eum vocat, *p. 119. vet. edit.*
Mathematicus hinc uſq; ad ſidera notiſſimus, teſtis, & res clara eſt.
Platoni Comico, Luciano, Helladio Byzantinoo, & Galeno, Aëtio, *Gal. claſſ. 1. p.*
Piſidæ, (apud Suidam) Heſychio, Suidæ & Favorino lapis heraclius *307. a. c. 15. de*
magnes eſt; Theophraſtus tamen pro coticula, quæ probando au- *aurium cordis*
ro adhibetur, uſurpat. Rationem autem, cur lapidem Græci ita *uſu.*
vocârint, Eraſmus in adagiis non ab Hercule Phœnicum Deo, uti *Chiliad. 1.*
Fullerus, ſed ab Heraclea urbe Lydiæ, in qua reperitur, deducit; *cent. 5. adag.*
Cui originationi Grammatici veteres ſuum adjiciunt calculum. *87.*
Heſychius: Κέκληται δὲ οὕτως ἀπὸ Ἡρακλείας, τῆς ἐν Λυδίᾳ πόλεως. *p. 457. edit.*
Sic vocatur ab Heraclea Lydiæ civitate. Etymologicum Magnum, *Schrev.*
cujus autores, teſte Marco Muſuro, ſunt Nicolaus Blaſtus & Za- *vid. Biſciola*
charias Calliergа, Cretenſes, Ἡράκλεια δὲ, ἢ διὰ τὸ ἰσχυρὸν καὶ κρα- *l. 1. Horar. ſub-*
τερὸν τῆς ὁλκῆς, ἢ μᾶλλον διότι περὶ Ἡράκλειαν τὸ πρῶτον ἐφάνη: *ſec. c. 3. t. 1.*
Heraclea autem vocatur aut propter vim & robur tractionis, aut potiùs, quia circa Heracleam primum apparuit. Proinde id, quod Fullerus objicit, flocci pendimus: Is enim, ſi ab urbe Heraclea deſcenderet λίθος Ἡράκλεια, dicendum eſſe exiſtimat Ἡρακλειώτης & Ἡρακλεώτης, vel Ἡρακλεωτικὸς in Maſculino; vel in fœm. Ἡρακλεῶτις vel Ἡρακλεωτική.

43. De cetero, *Magnes, lapis Heraclius & Lydius* habentur pro ſynonymis: nam magnes naſcitur in Lydiæ parte Magneſia, in qua Heraclea eſt. Suidas: Ἡράκλειαν λίθον τινὲς τὴν Μαγνησίαν ἀπέδοσαν, διὰ τὸ τὴν Ἡράκλειαν τῆς Μαγνησίας εἶναι. *Herculeum lapidem quidam magneſiam reddiderunt, quia Heraclea pars eſt Magneſiæ.*

ſiæ. Itaq; quemadmodum *Heracleus* dicitur ab urbe Heraclea, ita *magnetis* nomen ſortitur à parte Lydiæ Magneſia; de quo Lucre-
l. 6. de rerum natura, v. 908, 909. tius:

> *Quem magneta vocant patrio de nomine Graji,*
> *Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.*

Etymologus: Μαγνῆτις δὲ, ὅτι (ὥς φασιν) ἄνδρες λιθοφόροι Μαγνῆτες εὗρον αὐτῆς τὴν ἐνέργειαν. *Magnes autem vocatur, quia illius vim invenerunt viri Magnetes, qui lapides ferunt.* Eadem de cauſa ab A-
Tat. in Ἐρωτικοῖς *l. 1. p. 57. edit. Salm.* chille Tatio magnes, Μαγνησία λίθος vocitatur, à Callimacho autem Μάγνησσα. Ita Sophocles ipſum Lydium nominat, quia Lydiam pro patria etiam agnoſcit, cujus pars Magneſia eſt. Heſychius:
Heſych. l. l. διὸ καὶ Σοφοκλῆς Λυδίαν λίθον αὐτὴν καλεῖ. Et *Lydicum* vetus Poëta: Λυδικὴ λίθος σίδηρον τηλόθεν προσηγάγου. In Theophraſto etiam de lapidibus λίθος ἡρακλεία καὶ ἡ λυδὴ pro uno ac eodẽ accipiuntur. Ex quibus Fullero Grammaticam analogiam objicienti ſatis opinamur fieri: ea enim non ſemper obtinet, quamvis pro
p. 427. edit. Schrev. ἡρακλεία ἡρακλειῶτιν ſcribendum aliqui judicent. Ita Heſychius: οἱ δὲ Σιδηρῖτιν, οἱ δὲ ἡρακλειῶτιν. Habemus de nomine.

44. Quod ad rem attinet, pyxidem nauticam Salomonis inventum eſſe, eumque Tyriis illam patefeciſſe, negamus itidem omninò: etenim illius in veterum ſcriptis ne veſtigium quidem eſt, qui certè, ſi eam habuiſſent cognitam, id non reticuiſſent.

45. Fullerus quidem contendit, Tyrios celâſſe, ac modis omnibus ἐν ἀπορρήτοις habuiſſe hoc ſuis rebus augendis utiliſſimũ
vid. Boch. in Chanaan l. 1. c. 38. εὕρημα, ne ſemel eô pervulgatô maris divitias cum aliis partiri neceſſum haberent, ſuoq;, ſi ita loqui licet, monopoliô exciderent. At enimverò celari potuiſſe hanc talem rem, quis facilè credet, fidemq; habebit, quin eâ ſemel inventâ in propatulo fuit, ac omnium adeò uſu promiſcuo. Quaſi verò Phœnix navicularius clavo aſſidens, & ad pyxidem curſum dirigens, latere potuerit epibatas, qui ſæpè Græci ac Romani fuerant. Et quis, quæſo, ſibi perſuaderi patietur, rem tàm utilem, ac ſummè neceſſariam ſemel inventam ita conſeqq. temporibus funditùs intercidere potuiſſe, ut ne veſtigium quidem illius aut vola ſupereſſet. Eâ quidem profectò ſine inſigni detrimento carere non poſſumus; ejus adminiculô nobis maria clauſa circumcirca patent. Ex quo & immenſa celebranda

eſt

eſt Dei benignitas ac ſummè ſuſpicienda, quòd in extrema mundi ſenecta beneficium hoc fuerit elargitus, procul dubio eum in finem, ut eò citiùs faciliusq́; ſalutaris Evangelii doctrina in omnes orbis regiones propagaretur, ac apud miſeros mortales inclareſceret. Fullerus quidem urget, artem plumariam, neque non conficiendæ purpuræ, quæ Tyrum olim non parùm illuminârunt. Aſt diverſam horum ad ſe invicem comparatorum rationem reddit Sam. Boch. nam artes memoratæ luxui potiùs a- *l. l.* lendo erant, quàm ad uſus neceſſarios; Pyxidis autem nauticæ uſus ſummè neceſſarius eſt, ùt jam dictum, ſine qua in vaſtisſimo oceano curſum tenere difficillimum eſt, aliquando & alicubi etiam imposſibile.

46. Plauti *verſoriam* pyxidem nauticam non eſſe, ut nonnulli arbitrantur, Adrianus Turnebus evincit his verbis: *Verſoria,* *Adverſ. l. 10. c. 4.* inquit, *eſt apud Comicum Plautum funis, quo vertitur velum. Nam eos ferre non poſſum, qui recentem illam pyxidiculam naviculatoriam atavorum memoriâ inventam explicant. Verba ſunt Plauti in Mercatore, ſcena, Divûm atq; hominum:* *act. 5. ſc. 2. v. 34.*

Hic ventus nunc ſecundus eſt, cape modò verſoriam.

Et in Trinummo Scena: Staſime, fac te:

—— — Cape vorſoriam: *Pl. in Trin.*

recipe te ad herum. —— —— *act. 4. ſc. 3. v. 19. 20.*

Meam confirmat ſententiam, quòd ab eodem ſcriptum in Epidico Scena: Heus adoleſcens: *in Epid. act. 1. ſc. 1. v. 47.*

Utcunque in alto ventus eſt, Epidice, exin velum vortitur.

quibus adde ex Solini c. 10. *Nunc in Thraciam locus pergere, & ad validisſimas Europæ gentes vela vertere.* ad quem locum vide sîs, Salmaſium. Sunt, quibus *capere verſoriam* eſt παλινδρομίαν ἐλᾶν, ἀναστροφῆς τοὔμπαλιν ἔχεσθαι, uno verbo ἀναστρέφειν vel παλινδρομεῖν: quod Poëta verbis Latinis dixit: *dare lintea retrò.* v. Boch. *Æn. l. 3. circa fin.* de coloniis & ſermone Phœnicum. *Boch. l. 1. c. 38.*

47. Pro meris interim nugis ac fabulis illa ab Æliano, Platone, Diodoro Siculo, & autore auſcultationum mirabilium ll. ſuprà citatis allata habere non auſim; ſed fabulas eſſe hiſtoriæ immixtas exiſtimamus, ſecundùm illud: μεμιγμένα ἐσθλὰ κακοῖσιν. & forſan terra illa, cujus laudati Scriptores mentionem faciunt,

unt, eſt Britannia. Certum equidem eſt, Phœnices frequentes naves in Caſſiterides deſtinâſſe inſulas, &, ut ſuprà veteres de Atlantide narrârunt, quòd eam clàm habuerint, nec in ceterorum
l. 3. circa fin. mortaliũ notitiam venire paſſi ſint. parili modô Strabo de hac in Britannicas inſulas navigatione: Πρότερον μὲν οὖν φοίνικες μόνοι τὴν ἐμπορείαν ἔστελλον ταύτην ἐκ τῶν Γαδείρων, κρύπτοντες ἅπασι τὸν πλοῦν· *Primò quidem ſoli Phœnices eo negotiatum mittebant è Gadibus, celantes alios iſtam navigationem.* Memorabile eſt, quod ſequitur de Phœnicio nauclero, qui ad haſce inſulas pergens, animadversô, ſuam ſequi Romanam aliquam navem, præoptavit ſuam in vada illidere, quàm rem aperiendo Romanis Phœnicum deminuere.

48. In illis inſulis reperire eſt ſtannum, plumbum & coria, quæ incolæ ſale, fictilibus & æramentis commutabant. de
l. l. quo Strabo: Μέταλλα ἔχοντες κασσιτέρου καὶ μολύβδου, κέραμον ἀντὶ τούτων καὶ τῶν δερμάτων διαλλάττονται, καὶ ἅλας, καὶ χαλκώματα πρὸς τοὺς ἐμπόρους: Plumbum ex inſulis illis Græci pri-
Pl. l. 7. c. 56. p. m. 340. mùm acceperunt. Plinius: *Plumbum ex Caſſiteride inſula primus adportavit Midacritus.* Herodotus: οὔτε νήσους οἶδα κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. *Nec Casſiteridas novi Inſulas, unde ad nos venit ſtannum.* Græci ſcilicet plumbum ſuum & ſtannum vel â Phœnicibus, vel à Venetis vel à Narbonenſibus accipiebant.

c. 11. n. 3. 49. Inter Britanniæ incolas, Silures erant, de quibus Tacitus in Agricola: *Silurũ colorati vultus, & torti plerumq; crines, & poſitus contra Hiſpaniã Iberos veteres trajeciſſe, easq; ſedes occupâſſe, fidẽ faciunt.* nempe Tartesſios, qui Phœnicum coloni erant, quibus ſolis navigandi & colonias eò usq; deducendi animus fuit ac audentia. Accedit, quòd nomen Silurum idiomatis Phœnicii eſſe videtur. Unde etiam Romani, ut Phœnices iſtos, Britanniam incolentes, à reliquis Phœnicibus diſcernerent, appellitârunt Silures, per transpoſitionem literarum. aliàs Arabicè à سَرْوَلَ actionis nomen & سَرْوَلَ, *induit alium femoralibus:* hinc eſt سَرَاوِيلُ

Pl.

Pl. سَرَاوِيلَاتٌ *femoralia, quæ ferè ad pedes dimitti ſolent.*

vid. Golius. unde *Silures* à promiſsis braccis nomen eſſent adepti. *Lex. Arab. p. 1168.*
Quemadmodum Gallia Ciſalpina & Transalpina ab habitu corporis etiam diſtingvuntur, ac Ciſalpina à togis Romanorum *Togata*; Transalpinæ autem pars altera à braccis Gallorum, *Braccata*; altera à Comis, *Comata*, cognominantur. Huc faciet illud Martialis: *l. 11. Epigr. 22.*

Quam veteres Braccæ Britonis pauperis.

50. Solinus & Inſulæ, cui *Silura* nomen, meminit, ob Silures, *c. 22.* ſeu braccatos forſan ita inditum. ſic enim ille: *Silurā quoq; inſulam ab ora, quam gens Britanna, Dumnonii, tenent, turbidum fretum diſtingvit.* Aliis *Silurū quoq; inſulas*, quæ eædem ſint ac *Sillenæ*, in quas Maximus Auguſtus Priſcilliani ſectarios, Inſtantiū & Tiberianū, deportari juſsit, legere placet. Anglis hodie *Silly* ſunt, & Belgis *Sorlings*;

51. Ad ſententiam noſtram firmandam pertinet, quod legitur apud Strabonem: εἶναι νῆσον πρὸς τῇ Βρεττανικῇ, καθ' ἣν ὅμοια τοῖς ἐν Σαμοθρᾴκῃ περὶ τὴν Δήμητραν καὶ τὴν Κόρην ἱεροποιεῖται. *l. 4. p. 198.* Quibus verbis aliud nihil dicitur, quàm quòd Phœnices, à quibus ſua ſacra Samothraces edidicerant, hos inſulanos informârint in eadem diſciplina. conſequens ergò eſt, ut Phœnices eò usque progreſſi ſint: ſunt enim Inſulæ Casſiterides nullæ aliæ, quàm Britannicæ, quod commonſtrant earum in oceano ſitus trans Artabros ad Aquilonem, & ſtanni, plumbiq; fertilitas. v. Bochart. qui & ex ipſo nomine idem colligit: nam in libello de *Geograph. S. P. 2. l. 1. c. 39.* mundo, quem Ariſtoteli tribuunt, Albion & Jerne dicuntur νῆσοι βρεττανικαί. Et Britanniam Strabo Βρεττανικὴν & Βρετανικὴν unô τ appellat ſæpenumerò. *p. 720.* Jam autem Bocharto *Bretanica* deducitur à Phœnicio *Barat anac.* i.e. ager, ſeu terra ſtanni & plumbi. *l. l.*

nam Syr. ܒܪܐ eſt ager, & in ſtatu regiminis ܒܪ ita Dan. II, 38. dicitur ܚܝܘܬܐ ܕܒܪܐ *beſtia agri.* & c. IV, 12. ܚܝܘܬܐ ܕܒܪܐ *beſtia agri.* (آنُكٌ) *plumbum & ſtannum* ſignificat. v. Golius. quamvis Hornius in Introd. ad Geogr. Vet. hanc originationem ri- *Lex. Arab. p. 176.*

rideat. Ita quoq; vox *Caſſiterides* à Græco κασσίτερος derivatur,
l.3. c. 6. quæ vox ſtannum ſignificat. Pomponius Mela de plumbo nomen acceptiſſe autor eſt: *In Celticis aliquot ſunt, quas quia plumbo abun-*
l.4.c.22.p.m. 205. *dant, unô omnes nomine Caſſiterides appellant*. Eodem facit illud Plinii: *Caſſiterides dictæ Græcis, à fertilitate plumbi*. ſcil. ex Plinii ac Melæ ſententia ſtannum eſt plumbi ſpecies. neque quisquam plumbum ac ſtannū vicina metalla eſſe facilè in dubiū vocaverit. Stanno autem Britanniã ſupra alias terras abundare in confeſſo eſt. de
l.5. Bibl. hiſt. p. 209. eo namq; Diodorus Siculus: Τῆς γὰρ Βρεττανικῆς κατὰ τὸ ἀκρωτήριον τὸ καλούμενον Βελέριον οἱ κατοικοῦντες &c. οὗτοι τὸν κασσίτερον κατασκευάζουσι &c. ἐντεῦθεν δ' οἱ ἔμποροι παρὰ τῶν ἐγχωρίων ὠνοῦνται, καὶ διακομίζουσιν εἰς τὴν Γαλατίαν. τὸ δὲ τελευταῖον πεζῇ διὰ τῆς Γαλατίας πορευθέντες ἡμέρας ὡς τριάκοντα, κατάγουσιν ἐπὶ τῶν ἵππων τὰ φορτία πρὸς τὴν ἐκβολὴν τοῦ ἠριδανοῦ (ῥοδανοῦ) ποταμοῦ. Hæc de
l.34.c.17.p.m. 1464. ſtanno Diodorus. De plumbo autem Plinius ita: *Nigro plumbo ad fiſtulas laminasq; utimur, laborioſius in Hiſpania eruto, totasq; per Gallias, ſed in Britannia, ſummô terræ corio adeò largè, ut lex ultrò dicatur,*
v. Camd. in deſcr. Britanniæ *ne plus certo modo fiat*. Plura ſîs, Camdenum adi.

52 Has igitur Britannicas inſulas ingresſi Phœnices, earum optimam habuêre notitiam. Quæ ut à ſtanni copia *Caſſiterides*, ita ratione ſitus *Heſperides*, & ab Artabrorū promuntorio Oeſtrumni, cui ſunt oppoſitæ, *Oeſtrumnides* nuncupatæ ſunt olim. De He-
p.m. 81. ſperidibus Dionyſius Periegetes:

Νήσους θ' Ἑσπερίδας, τόθι κασσιτέροιο γενέθλη,
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἀγαυῶν παῖδες Ἰβήρων.

quæ Priſcianus reddit hunc in ſenſum:

—— —— *ſunt ſtanni pondere plenæ*
Heſperides, populus tenuit quas fortis, Iberi.

Ubi *Iberorum* nomine Silures, qui eò ſedem transtulerant, intelliguntur, Phœnices & Gaditani, Tartesſiive.

53. Easdem & Oeſtrymnidas eſſe ad mentem Camdeni Feſtus Avienus docet:

In quo Inſulæ ſeſe exerunt Oeſtrymnides
Latè jacentes, & metallo divites
Stanni atq; plumbi, &c.

In quas navigaſſe Phœnices olim, clarè expresſit verſibus ſuprà laudatis: *Tar-*

Tarteſſuſq; in terminos Oeſtrumnidum &c.

54. Hæc quando perpendimus, Phœnices ſcilicet frequenter has ad inſulas, & in ipſam Britanniam, vela vertiſſe, quod dicitur de Atlantide; Romanos, Græcosq; ac ceteras nationes multoperè celâſſe, quod dicitur de Atlantide; exinde ingentes opes ac divitias cumulâſſe, quod dicitur de Atlantide; & ſi quæ ſunt alia plura: arbitramur, non ἀλόγως ſtatuere illos, quibus decantata illa Atlantis eſt Britannia; non obſtante quidem eô, quòd magnitudo illi attributa Britanniæ nequaquam congruat: nam, ut fieri adſolet, omne ignotum pro magnifico eſt, (ut Galgacus de hac ipſa Britannia vel potiùs ejus ultimis receſſibus loquitur, in Tacit. Agric.) inq; majus à fama nunquam non extollitur. Ex ſuperioribus conſtat, & ampliùs conſtabit ex dicendis, Britanniam antiquis temporibus, ſi Phœnices excipias, ceteris non æquè fuiſſe cognitam, perſpectamq;, ut in re obſcura facilè fabulis locus fuerit. *c. 30, 4.*

55. Objicis: Diodorum Siculum, qui, judice Pliniô, primus Græcorum nugari deſiit, fortunatam illam Oceani inſulam diſertis verbis à Britannia diſcriminare: nam ubi l. V. Bibl. de illa, quæ habebat, protulerat, tùm proximè quidem ſubjicit quædam de Britannia. Quibus fortean reponi poteſt, quòd graviſſimus ſcriptor, cùm adverteret, ea, quæ olim ſermonibus jactârunt de magna quadam in vaſto Oceani pelago inſula, non omninò ſeſe offerre in Britannia, propter hanc cauſam ultra jacentem inſulam mente conceperit. *Pl. in præfat. ad Veſpaſ. p. m. 5.*

56. Negat equidem Turnebus, hanc inſulam Britanniam eſſe poſſe; ideò, quòd cognita hæc fuerit. Ad quod reſpondeat Gerh. Jo. Voſſius: *In quæſtione eſt, utrum tùm cognita fuerit Britannia, quando iſta contigêre, quæ Diodorus narrat: nempe, cum Tyrrheni in Italia adhuc maris inferi potirentur; ſic ut ab iis Tyrrhenum dictum ſit. Planè tùm, ùt puto, ignota fuit Britannia gentibus mare mediterraneum accolentibus.* *de ſcient. mathem. p. 245.*

57. Sanè temporibus Herodoti inſulæ Caſſiterides, quas Britannicas eſſe diximus, ignotæ fuerunt Græcis; ac de ſemet hiſtoricus ingenuè fatetur, quòd inſulas illas ignoret, in Thalia: οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. Quid, quod longo poſt tempore, atq; ſanequàm tardè Romanis jamdum re- *c. 115.*

rum Dominis cognoſcere Britanniam datum ſit: argumento eſt, quod *novum orbem* vocitarent, monente Servio ad illud 1. Ecl.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

l.3.c.6. Dictis fidem faciunt & illa Pomponii Melæ: *Britannia qualis ſit, qualesq́ progeneret. mox certiora & magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clauſam aperit ecce principum maximus,* (Claudius Cæſ.) *nec indomitarum modò ante ſe, verùm ignotarum quoq́ gentium victor, qui propriarum rerum fidem ut bello adfectavit, ita triumpho declaraturus portat.* Ad quem locum doctiſſimus commentator, Iſaacus Voſſius, hæc habet: *Senſus eſt, Claudium Cæſarem adfectâſſe bello iſtud efficere, ne quis in poſterum de Britannia & rerum ſuarum fide dubitaret. Antequam enim Claudius eam patefaceret, incerta erant omnia, quæ de Britannia ferebantur, nec conſtabat, utrum eſſet inſula, an alterius orbis initium, an nomen vanum: quia non ſatis credebatur iis, quæ de hac ſcripſit Cæſar. In veteri Epigramm. ad Claudium de capta Britannia:*

Fabula viſa diu, medioq́ recondita ponto,
Libera victori quam citò colla dedit.

Addit dein Mela illum etiam triumpho declaraturum, Britanniam
c.28. *non eſſe nomen tantum.* conf. Taciti Agric.

58. Sunt tamen & alia, quæ hactenus expoſitæ ſententiæ validè videntur obverti poſſe, ut in re tàm impedita tutiùs ſit ἐπέχειν,
in Chanaan l. quàm temerè quid definire. Doctiſſimo Bocharto illæ de Phœni-
1.c.38.p.716. cum inſula hac narrationes ſunt ſuſpectæ, cùm nullum ſciat locum, in quem conveniant: non in fortunatas inſulas, cum deſcribatur illa ἀξιόλογος τῷ μεγέθει, καὶ διαῤῥεομένη ποταμοῖς πλωτοῖς: nec in reliquas Lybiæ in occaſum objacentes. *Itaq́*, inquit, *vel nuſquam eſt hæc inſula, vel una eſt ex inſulis novi orbis, aut pars aliqua Braſiliæ, quam littoribus nondum ſatis peragratis Phœnices acceperunt pro Inſula. Sed nauticâ pyxide nondum repertâ, parum eſt veriſimile, eò navigâſſe Phœnices, cùm hæ terræ, Libya, inquam, & Braſilia, tanta locorum intercapedine ſint ab invicem diſſitæ; ut de Americanis Inſulis taceam, Hiſpaniola ſcilicet, Cuba, Jamaica, & aliis, quæ multò ſunt remotiores.*

59. Hactenus de America, an fuerit veteribus cognita. Sequitur ut de gentium Americanarum Origine dicamus.

Caput Secundum.

De Origine Gentium Americanarum.

60. Gentium Americanarum originem rimando ſectari, res eſt plena laboris, &, ſi quæ alia, impedita ſatis. In cauſa eſt orbis per tot ſecula incognitus; Gens Americana rerum ſuarum atque originis incurioſa; magna inter illos barbaries, ac cultioris vitæ, literaturæq; defectus. Dein primorum detectorum negligentia ſimul & malitia, qui de auri unicè cogitârunt, argentiq; magna copia comparanda, totas nationes cæde nefandâ extinxerunt, &, ſi quæ antiquitatis monumenta erant, ea turpiter deſtruxerunt. Deniq; & haud pauca ex vano commenti aliis obtruſerunt. Ut Acoſta temerarium eſſe eum judicet, qui originem gentis Americanæ ſe proditurum confidat. Hoc certum eſſe ſtatuo, illa, quæ falsò de materia hac traduntur, confutare facilius eſſe, quàm veri, certique quidpiã de ea adſtruere. Quid, quod annis præteritis, teſte Hornio, in Hiſpania curioſa hæc agitata fuerit quæſtio: *Utrum Indi ab Adamo oriundi, an verò media quædam ſpecies inter ſimios & homines eſſent?* *l. 1. c. 2. de orig. gent. Americ.*

61. Difficultatem rei, quæ tot ingenia exercuit, non neſcivit Petrus Cottonus Jeſuita; quare compendioſiore viâ bonus ille vir uſurus, Diabolo per obſeſſam puellam loquenti, egregio ſcilicet Magiſtro, hanc propoſuit quæſtionem: *Quomodo Inſulæ animalia acceperint, & eò homines poſt Adamum pervenerint?* Intellexit autem Inſulas illas novi orbis. Propria Cottoni manus hâc de re à Jo. Gilloto, in Senatu Pariſienſi, Conſiliario Eccleſiaſtico adſervata, ab Henrico autem IV. lecta eſt; quin & à Thuano tota hiſtoria evulgata fuit; ut adeò Forerius in Mantiſſa ſua Cottonum ab impio facinore fruſtrà purgare nitatur.

62. Quidam, uti Gomara teſtatur, Hiſpanos à Mauris fugatos in Americam evaſiſſe, exin conjectârunt, quòd in Jucatana cruces invenerunt. de fugatis Antonius Gavalus, teſte Purchaſiô, ita: *Anno 1447. Portugallus quidam navigans extra fretum Herculeum, adverſis ventis in remotam inſulam Occidentem verſus abreptus fuit, & in ea invenit ſeptem civitates, quæ Portugallorum lingua loquebantur, & interrogabant: an Mauri adhuc Hiſpaniam vexarent, unde amiſsô Roderico fugati ſint? Putant hanc regionem fuiſſe novam Hiſpaniam.*

Atta-

Attamen Gomara ſententiam hanc refellit hâc ratione: quòd in inſulis illis, quæ primùm neceſſariò in Americam vadentibus Hiſpanis fuerunt adeundæ, nullæ reperiantur cruces. Arbitratur is, Hiſpanos confinxiſſe ejusmodi cruces ac gentis ſuæ fugam à Mauris, ut potiori jure illas terras ſibi vendicare poſſent. Theophraſtus Paracelſus, neſcio, qua cum ratione videtur inſanire voluiſſe, quando duos Adamos, unum in Aſia, alterum in America creatos, ſomniavit. Arias Montanus in Phalego Juktanis poſteros ex Oriente in Americam veniſſe exiſtimat, idq; innui, quando dicitur, eos uſq; ad montes Orientis Sepher habitâſſe; quos montes eſſe, Andes, in quibus antiquiſſima urbs *Juktan* ſit reliqua. Cui ſenten-
l. l. l. 1. c. 2. tiæ magni nominis Viri, teſte Horniô, accedunt. inter quos Poſtellus, Goropius Becanus, Poſſevinus, Genebrardus, Marinus Brixianus, Eugubinus, Mornæus, Avenarius, aliiq;. Non ſubſcribit modò laudatus Georg. Hornius, quòd montes Sepher de Andibus explicari nequeant, neq; uſpiam ulla ſit urbs, nomine Juktan, niſi Jucatanam regionem intelligat; quod tamen nomen ab Hiſpanis per errorem confictum ſit. Plura vid. l.l. Poſtelli ſententia habet, Auſtralem partem ex Aſiatica India Colonos ab Ophir & aliis Joctani poſteris accepiſſe. In Septentrionales oras ex Mauritania navibus Atlantios trajeciſſe. Jo. Lerius, ac cum ipſo Gomara, Chananæos quosdam, metuentes Joſuam, in Americam abiiſſe putat. Genebrardus, decem Iſraëlitarum tribus, à Salmanaſſare ex Palæſtina in captivitatem abductas, ex Perſide & Babylonia per multos errores in extremum angulum, qua Americam Aſia contingit, delatos eſſe, atq; ita in Americam perveniſſe arbitratur; inſolenter
ad A.M. 1931. miratus, id à nemine ante ſe obſervatum eſſe. Auguſtinus Torni-
p. 232. ellus in annalibus ſacris, ex Oriente per Japoniam partim, partim ex Septentrione per fretum Anian, Semi & Japheti poſteros in Americam ſe effudiſſe exiſtimat. Acoſta, Americanos ex Aſia ortos eſſe dicit, cùm regio illa vel planè contigua Americæ, vel exiguo tantùm freto ab ea diviſa ſit; quamvis non tàm de via, quâ traductæ ſint, quàm quâ traduci potuerint, diſpiciat. Goropius Becanus, Atlantes in Americam navigâſſe, in Hiſpanicis oſtendit. Lucius Marinæus Siculus Romanos Americam intrâſſe contendit, ex hâc ratione, quod in novi orbis regione quadam inventus ſit num-

mus

mus effigie Cæſaris Auguſti, & nomine ſignatus: quem & à Jo. Ruffo Archiepiſcopo Conſentino, tanquam ſingulare quid ac mirandum, Romam ad ſummum Pontificem miſſum, notum eſt. hinc conſtare voluit, Romanos ad Indos migrâſſe. At verò auctor ille non ſatis eſt fide dignus, nec quæ recenſentur, vero ſunt ullo modo congrua: quaſi verò Tacitus tam illuſtris Reip. Rom. Senator ac Conſul, aliiq; præclari Hiſtorici Romani, ſi vel volam in India Occidentali poſſediſſent Romani hoc ignorare potuiſſent; quod tamen ignorârunt omnes. hinc de ea re ubique altum apud eos eſt ſilentium. Νόμισμα illud omninò ſuppoſitum eſt, & ab impoſtore aliquo objectum, vel ad luſus faciendos, vel ut Columbo primæ inventionis gloriam eriperet; quod & alii facere non erubuerunt, quos ille, uti conſtat, erectô in apicem ovô acutè eluſit. Sed & contigiſſe potuit, ut nummus ille ab Hiſpanis illatus, caſu fuerit amiſſus. Falſum quoque eſt, quod dicitur Friſios tempore Willehardi Epiſcopi Bremenſis in novi orbis inſulas, Cubam & Hiſpaniolam progreſſos, ſed eos à barbaris magnis moloſſis fugatos eſſe, autore Cranzio, cùm nullum ibi animal fuerit, niſi Hutias cuniculi magnitudine. Franciſcus Bivarius in Chronicon Fl. Lucii Dextri ad A. 166. à poſteris Ophir Americam habitatam eſſe ſentit. Abrahamus Mylius commentario de lingua Belgica Americanos à Celtis derivat: hos cenſet in Americam primò per Orientem, dein etiam per Occidentem ex Islandia & Friſlandia in terram Laboratoris, & exinde ulteriùs ſeſe diffudiſſe. Cuſchitas in Americam per mare Eoum & fretum Anian, unum tantùm cum dimidio milliare latum, perveniſſe, Nicolaus Fullerus in Miſcellaneis contendit. Athanaſius Kircherus in ſuo prodromo Copto & Oedipo Ægyptiaco, Ægyptios eò migrâſſe, ac in America colonias conſtituiſſe, auctor eſt. *Kirch. c. 4. de expedit. Ægypt. in Indiam.* Emanuel de Moraes in hiſtoria Braſilienſi nondum edita, teſte Hornio, Americanos à Carthaginienſibus ac Judæis arceſſit. Edoardus autem Brerevvoodus, à Tataris. Leſcarboti ſententiâ non tantùm Chananæi in Americam metu Joſuæ & Israëlitarum confugerunt; ſed & Noachum poſteris ſuis iter eò monſtrâſſe ait. Hugo Grotius gentes Americæ deducit à quatuor populis, Norvvagis, Abiſſinis, Indis Orientalibus, & Sinenſibus; *in diſſert. de orig. gent. Americ.* quem Latius in notis ſuis confutavit,

 com-

communem tenens ſententiam, eas Tataris, ut & novæ Guineæ, ac quæ eſt infra fretum Magellanicum terræ incolis, originem debere. Robertus Comtæus Normannus poſt Grotium argumenti hujus periculum facere aggreſſus eſt, argumenta Latii & Grotii examinaturus, niſi morte præventus fuiſſet. Is Americanos à Phœnicibus, iisq; ſolis, ortos autumabat: eos illum orbem & tenuiſſe & retexiſſe, ita quidem, ut ex aliis locis nulli Hiſpanis priores, ſi Phœnices excipias, eò venerint. Rodericus autem à Caſtro in Medico Politico Carthaginienſibus eorum originem adſcribit, defectu literarum pro argumento uſus; quod eſt leviculum.

63. Sed ecce! quis non ingentem in tanta ſententiarum varietate difficultatem agnoſcit? ut certi quidpiam in re tam obſcura rationibus firmis corroborari vix poſſit. At enimverò tentandum eſt nihilominùs, præeunte tamen aliorum induſtriâ, quid efficere poſſim. Quod ſi rem minus expediero, in magnis etiam voluiſſe, ſat eſto.

64. Quæſtionem autem hancce tractantium plerorumque, ante natum Chriſtum Americam accepiſſe colonos, ſententia eſt: Quod ex ea ratione ſupra fuit negatum, quòd navigatio in Americam ob pyxidis nauticæ defectum, aliasque ob cauſas, vix ac ne vix quidem credibilis ſit; utut Doctiſſimo Hornio aliter videatur. Argumentum ſumit idem ex nominibus urbium inprimis, quæ Phœniciam linguam ingerunt. Uſitatum enim Phœnicibus, urbes ſuas *Kar*, *Kir*, *Karja* nominare. Sic apud ipſos fuêre *Carchemiſch*, *Kir*, *Karthan*, *Kirjat-Arba*, & quas plures Ptolomæus in Africa refert: *Caraga*, *Charbaſa*, *Curobis*, *Cartenna*, *Carepula*, *Carcoma Carthago* & ſimiles; hinc cum Americani quoque in oppidorum ſuorum nominibus illud *Kar* uſurpent, aliaque Phœnicibus gemina, ut videre eſt in *Karaneach*, *Caraca*, *Coromochos*, *Carora*, &c. ex eo concludit, Americanos Phœniciæ eſſe originis idque tam confidenter, ut affirmet, niſi hujus *vocis* (loquitur de *Carteja* Hiſpaniæ) *clariſſima eſſet memoria*, *dubitari vehementer poſſe, an ulli unquam Phœnices in Americam venerint.*

l. 2. de orig. gent. americ.

p. 100. 97, 94,

65. Verùm, ut taceam nunc, alios quoque diverſæ ſententiæ auctores ejusmodi argumenta pro ſe allegare, non videtur veriſimile, hæc Americana vocabula inde usque à Carthaginienſibus

ſibus per tanta temporum ſpatia, per tot tantasq; omnium rerum factas mutationes tutò repeti. Hæc talia vocabula multò recentiores populos Orientales in Occidentem intuliſſe, magis ex vero fortè dixeris.

66. Exiſtimamus nos, non abludere à vero ſententiam B. Urſini, qui in Analectis ſacris cenſet, poſt natum Chriſtum, cùm omnes adeò terræ bellicô tumultu concuterentur, & à barbaris gentibus quaſi inundarentur, cùm hi pellerent, illi pellerentur ex ſuis ſedibus; complures iis relictis fugam in longinqua terrarum conſciviſſe, novumque iſtum orbem adiiſſe. *p. m. 378.*

67. Georgius Hornius Scytharum inprimis Ver ſacrum celebrat, & in illud tempus refert. Sub Scythis autem Græci omnes barbaros ſupra Euxinum & Caſpium mare verſus Orientem & Occidentem & Septentrionem oberrantes comprehenderunt: ſed poſteà tamen multò latiùs ſe diffuderunt. Tandem &, cùm omnem penè Septentrionalem Aſiam magnâ copiâ expleviſſent, ad Americæ Septentrionalis proximam continentem proceſſerunt. *l. 3. de orig. gent. americ.*

68. Triplex autem Scytharum genus agnoſcit Hornius: Hunnorum, Kitharum & Sinarum. Sub *Hunnorum* gente multi comprehenduntur populi, quos magnam partem Nicephorus recenſet: *Turcas*, inquiens, *Abares, Mucritos, Sogores, Varos, Cunnos, Barſelt, Unigúros, Sabiri, contiguas & potentisſimas gentes fuiſſe.* Hi & alii apud Scriptores *Hunnorum* nomine vocantur. Ita & *Alani* plerumque Hunnis ad latus quaſi junguntur apud Hiſtoricos. De Alanis Ammianus Marcellinus: *Hoc tranſito, in immenſum extentas Scythiæ ſolitudines Alani inhabitant, ex montium appellatione cognominati, paulatimq; nationes conterminas crebritate victoriarum attritas ad gentilitatem ſui vocabuli traxerunt, ut Perſæ.* ad quem locum, vide sîs doctisſimum commentatorem Henricum Valeſium. paullò pòſt: *Proceri autem Alani penè ſunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flavis, oculorum temperatâ torvitate terribiles, & armorum levitate veloces, Hunnisq; per omnia ſuppares: verùm victu mitiores & cultu.* *l. c.* *Eccl. hiſt. l. 18. c. 30. t. 2 p. 846. ſeqq. ed. Lut. Par. à Frontone Ducæo.* *Marcell. l. 31. p. 437. edit. Pariſ. Valeſii.* *p. 439.*

69. Quod ad Turcos attinet, ſub Hunnorum feruntur nomine latitâſſe; & teſtatur Simocattus apud Euſtathium in Diony-

 ſium

p.97. ſium Περιηγητὴν, cùm dicit: Οὔννους Τούρκους πέρσαι καλοῦσιν. Idem ferè Jo. Scylitzes, ab officio Curopalates dictus nec non Zonaras, *annalium t.3. p.142.* qui dicit: *Turci Iſtrum accolentes, & Ungri vocantur.* Cedrenus, qui ſua ex breviario hiſtorico Jo. Scyliz. deſcripſit: Τούρκων ἔθνος γένος μέν ἐστιν Οὐννικὸν, οἰκεῖ δὲ τὰ προσαρκτῷα τῶν Καυκασίων ὀρῶν πολυάνθρωπον τέον καὶ αὐτόνομον. *Cedr. comp. hiſt. t.2.p.767. edit. à Carol. Annib. Fabroto, IC. Paris.* Guil. Xylander vertit: *Turcorum gens Unnica fuit habitans ad Caucaſi montis partes ſeptentrionales, populoſiſſima & libera.*

70. Iidem Hunni cum Tataris non uno nomine conveniunt, quemadmodum enim Tatari in ſeptem ſunt diſtincti Hordas, & *Mogores* audiunt: ſic & Hunni ſuâ linguâ *Magyari* ſunt, in ſeptem diviſi gentes. quod ex Nicephoro clarum fit: ubi ſe Chaganus Abdelarum Imperator orat. ad Mauritium Imp. appellat ſeptem gentium, & ſeptem orbis terræ climatum Regem.

71. Hunnicam igitur gentem ex Scythis oriundam, ut ex noſtro in alium emigraret orbem, non unâ cauſâ perpulit. has inter ſunt bella inteſtina, quibus aut cædebant, aut cædebantur; ex ſedibus movebant aut movebantur. Quare qui viribus attriti, rebus ſuis acciſis, vel & occiſis, aliò ſedes ſuas transferebant, & ne hoſtibus, hoſtes devorare, adeoque ultra mortem ſævire ſolitis, eſca fierent, loca à prioribus longisſimis ſpatiis abducta quærebant. Perpellebat & abundans multitudo, cùm eos non caperent terræ, quæ genuerant: quapropter ad minuendam eam multis erat migrandum, ac aliò & ad ſedes novas quærendas, ceu quoddam ver ſacrum (ἔτος ἱερὸν Straboni) exeundum.

72. Hunnos ex interiori Aſia venando in Europam delatos eſſe, teſtis eſt Bonfinius. *Bonf. rer. Ungar. dec.1. l. 2. p.42. edit. Hanov.* Ita quoque Hunnos ex Aſia in Americam deveniſſe, utpote qui venationum erant ſtudioſisſimi, aliquis dixerit. Scytharum inſuper vita inſtabilis ac vaga eſt, ſine ſedibus fixis; ut campus, ut fons, ut nemus perliciebant, ita commorabantur aliquamdiu: mox ulteriùs, ſibique incognitas petebant terras, vel in continente, vel mari, vel glacie.

73 Circa quod verò tempus transmigratio hæc fuerit facta, res eſt in ambiguo. Faciet ad hanc quæſtionem definiendam haud parùm, ſi præſumtum habeamus, Scythas Hunnos ex interiore Aſia in Septentrionalem frigoribus horrentem delatos.

Illic via ipſis & per Occidentem, & per Orientem patebat in Americam Aquilonarem, ſat propinquam. Sicut & diviſis his itineribus tandem venerunt in Americam ſeptentrionalem. Jam Aſia Septentrionalis immenſis terrarum ſpatiis, in novum orbem usque, ſub ipſum ferè ſiderum cardinem, quâ viâ tranſiviſſe videntur, extenſa, non ante multa ſecula incolis impleri potuit. quis enim terras perpetuis nivibus ac glacie horrentes, niſi vi coactus, quærat? quæ cauſa eſt, quamobrem Lappia, Grönlandia, Islandia, & omnis ad oceanum glacialem tractus paucis gaudeat habitatoribus, qui & rari ſunt in America Septentrionali.

74. Ex quo claret, tractum Septentrionalem Aſiæ tardè, nec niſi à pulſis, ſedibusque ſuis excitis, quæſitum. Non itaq; antequam hæc contingerent, ex Septentrionali Climate, quippe antehàc colonis vacuo, in Americam immigratum fuit.

75. Quando autem ſeculo quarto ac deinceps, temporibus illis triſtiſſimis, fatiq; durioris properis, totus Septentrio horrendum ſeſe commovit, & barbaris ſuis fluctibus omnes orbis partes circumfudit, tum & ex Septentrione Americam quoque aditam fuiſſe, conjectare eſt.

76. Quanquam autem multos per Occidentem in Americam perveniſſe Hornius multis probet; per Orientem tamen (qui tractus, quamvis nondum exploratus, Ruſſorum tamen, Hiſpanorum & Anglorum navigationibus ac itineribus aliquà cognitus eſt) longè potiorem partem eò migraviſſe, ex eo patebit quòd regiones Orientem verſus plures nutriunt incolas, & via eſt brevior, quam in Occidentem. *l. 3. c. 6.*

77. De via nos animalia docuerint: nam omnis America, Septentrionalis maximè, leones, cervos, tigres magnô numerô alit. Ea verò nec Grönlandiam, nec Magellanicam dediſſe, ἐξάγωνον eſt. Cùm, quod quis nec ipſe habet, alteri conferre nequeat. Ut neceſſum ſit, ea per Orientem ex Aſia ſe huc feciſſe. In Scythia ſanè non rari ſunt Cervi, qui etiam maria tranant, teſte Solino. Plinius, de Scytharum gente: *Ideò juxta vaſtæ ſolitudines, feraruműq; multitudo, haud diſſimilem hominum immanitatem obſidens. Iterum deinde Scythæ, Iterumq; deſerta cum belluis, usq; ad* *l. 6. c. 17. p. m. 252. ſeq.*

 jugum

jugum incumbens mari quod vocant Tabin. Alia itidem nobis incognita animalia per eandem viam ex noſtro orbe in Americam veniſſe non dubitandum, utut eorum exquiſita cognitio nobis non ſit. Quis interim dubitet, in amplis illis Tatariæ ſpatiis, longisq; receſſibus non pauca oris Europæis incognita animalium genera haberi? neque enim ex noſtro orbe adeò exceſſiſſe ea, ut nulla ſoboles remanſerit, ſtatuendum. Nec aliunde, quæ ſunt in America pulcherrimæ aves, quam ex Tataria volârunt. Ubi & aquilæ, & in inſulis inter Tatariam & Americam falcones, de quibus Paulus Venetus in de rebus Orientalibus, quod ſcriptum ex MS. Biblioth. Elector. Brandeburg. caſtigatum promittit Jo. Vorſtius. *l. 2. c. 19.*

78. Verùm quomodo animalia hæc, quorum quædam ſatis grandia, trans mare perlata fuerint, vel, quomodo eò pervenerint, quæritur non immeritò.

79. Ad aves quod attinet, maria transmiſiſſe volatu, non eſt habendum in iis, quæ fieri omninò nequeunt; id quod facit Acoſta, & Abraham Mylius. Illas in longè diſſita loca volare, Plinius memoriæ prodit, quod & ciconiarum, hirundinum, & aliarum ſimilium exemplum firmat. Ita anates ſine numero ad oras noſtras conſpectas, in nova Zemla ova ponere, & excludere Batavi advertunt. Linſchotianus tradit, in oceano ad 900 milliaria à terra aves absque intermisſione volitâſse: Feſſæ cùm ſunt, vel ſub aquis, vel in cautibus quieſcere. Mira quidem hæc ſunt, non tamen idcircò perneganda: hinc Latius: *De avibus non eſt quòd ſolliciti ſimus.* Conferas licet Abr. Mylium.

Myl. de orig. animal. & migr. pop. p. 52. ſeq.
Plin. l. 10. c. 23. & 24.
de orig. anim. l. l.

80. Reliqua autem animalia ex una in aliam terram vel exiguis fretis natatu transfretatis, vel ſuper glaciem egreſſa ſunt. Cùm enim continens Americæ leonibus, tigribus, urſis, cervis & aliis quadrupedibus ſatis abundet; hujus tamen generis nulla in remotioribus inſulis reperire licet, ex. gr. in Hiſpaniola, Cuba, aliisque. Ex quo conſtare videtur, quòd freto alicubi America à noſtro continenti abducatur, quod vel natatu transmittas, vel congelatum pedibus tranſeas.

l. ſuprà l. p. 99. ſeq. edit. Rom. 81. Iſthmo Aſiam Americæ jungi Athanaſius Kircherus in prodomo Copto ſuo: *Cathaiam, inquiens, majorem per immenſa*

menſa ſpatia extenſam in extremo Septentrionis angulo Americæ Iſthmo quodam conjungi ego mathematicis rationibus penè convictus exiſtimo. Verùm Georgio Hornio ratio illa neque mathematica, neque hiſtorica ſatis eſt, utpote in rebus nondum planè exploratis. Grotius: *Perpetuum intercedere fretum, magis credo.* Latius: *Omninò veriſimile eſt, ad promontorium Tabin aut Cathaiam anguſto freto continentes dividi.* Huic freto auctores nomen *Anian* dederunt, qua vel fide, vel auctoritate, eſt in obſcuro. Cùm qui regiones illas ſedulò ſunt contuiti, quales Guilhelmus de Rubruquis, monachus Gallus, (qui anno 1253. legatus ad Tataros miſſus fuit, & quo, teſte Hornio, nemo unquam in rebus Tataricis diligentior, majorique fide dignus) & Paulus Venetus in de rebus oriental. hi: inquam, de mari & oceano dicere habeant, de freto nihil quicquam; quamvis fretum illud Anianum plurimi credant. vid. omninò Georg. Hornius de orig. gent. americ. *l.3.c.9.p.173. & 176.*

82. De cetero cicura animalia, quæ nec volando nec natando, nec tranando, præpoſſunt, ab hominibus ipſis illata eſſe caret dubio, utpote, quæ vel ad cibum vel ad delicias conducere videbantur. Quemadmodum magnam avium copiam navibus imponere ſcimus. Vaccæ tamen, boves, & equi, quorum animalium præcipuus uſus eſt, in America non ſunt reperti. Cauſa hæc poteſt eſſe, quòd animalia hæc, navibus ad ſubolem propagandam primò quidem conſiliò impoſita, poſt famis neceſſitate urgente, uti fit in tam longinquis navigationibus, ad cibos ſint transſumta. Aliæ quoque rationes adferuntur ab Hornio.

83. Idem meminit migrationis in Americam antiquiſſimæ, quam Hunni itidem ex oriente fecerint, & cujus veſtigia ſuperſint apud Plinium & Solinum; qui referunt, ab anthropophagis Scythis, usque ad Tabin, omnia deſerta fuiſſe, quòd ejus gentis ferociam ferre nemo poſſet. de quibus locis deſertis etiam Paulus Venetus: *In maximo tractu inter Orientem & Aquilonem habitationes non inveniuntur, ſed tantummodò feræ.* Quare, qui illic locorum olim ad Tabin usque habitarent, conſumti partim, partim fugati fuêre; & fugatos quidem Americam è regione ſitam petiiſſe, arbitratur modò laudatus auctor, quòd terra illa ipſis fuerit proxima. *l. 3. de orig. gent. am. c.10. Pl. l.6. c.17.*

84. Du-

84. Dubitari autem vix debet, Aſiam Oceano circumflui, uti de hoc ſatis memoriæ produnt Rubruquis, & Paulus Venetus, qui regiones illas ſummo cum ſtudio perluſtrârunt, dicentes, ultra oceanum etiam alias terras ac inſulas eſſe. Ita Nubienſis: *Terra Iagog & Magog terminatur à Septentrione mari oceano & ultra eum eſt terra habitata.* M. P. Venetus: *relictâ civitate Carocaram, à monte Alchai Aquilonem verſus venitur ad campeſtria Bargu, quæ in longitudine quadraginta habent dietas. Incolæ illorum locorum vocantur Meditæ, &c. Poſt terminum dictarum quadraginta dietarum, pervenitur ad Oceanum,* &c. *In inſulis maris illius naſcuntur Grifalchi in magna copia, qui inde ad magnum Cham deferuntur.* Plinius: *Inſulæ toto eo mari multæ: vulgata una maximè Tazata: à Caſpio mari Scythicoq; Oceano, in eam curſus inflectitur, ad orientem converſa litorum fronte.* Ex quibus ὡς ἐν παρέργῳ notandum eſt quod quidam exiſtiment ex Aſia per Orientem in Americam aliter quàm navibus perventum non eſſe vid. Hornium. Quod ſi tamen l. 1. c. 3. à feris terreſtribus in America rectè argumentum petit, quod alicubi anguſtum fretum quod congelari queat vel tranari, Americam à noſtro ſejungat orbe, tum feræ illæ, quæ de ipſius ſententia ex tractu illo Aſiæ, qui eſt inter Orientem & Aquilonem in Americam venerunt, argumentum ſuppeditabunt, quòd America ab Aſia non Oceano, ſed freto itidem anguſto ſcindatur. Plurimos autem populos ab Anthropophagis quocunque tandem fugatos eſſe teſtatur magnum terrarum ſpatium à populis migrantibus deſertum ac relictum: qua de re Amm. Marcellinus hæc facit verba: *Anthropophagi humanis corporibus victitantes; quibus ob hæc alimenta nefanda deſertis, finitimi omnes longa petiêre terrarum. Ideoque plaga omnis Orienti æſtivo objecta, usque dum venitur ad Seras inhabitabilis manſit.*

part. X. clim. 1.

l. 1. c. 61. de reb. orient.

l. ſuprà cit.

ll. ſuprà laudatis.

l. 3. c. 9. p. 170.

l. 31. p. 438. edit. Henr. Valeſii.

85. Altera Scytharum migratio, eaque recentior eſt copioſiſſima, atque in ore, famaque multô majore. In ea Hunni, Alani, Avares, Parthi, Turci, Tatari, Mogoles, Gothi, aliæque gentes in Americam ſeſe diffuderunt. Hunni gens ſupra modum ſpurca, ut Æpyptii Diabolum ipſum *Chuni*, *factô* illinc no-

nomine, dicerent. Hi primò ad extremam Aſiæ oram ſe contulerunt, ubi Cunad & Ung: nam & Cunadani nulli ſunt alii quàm Hunni. Veneto Funotiani appellitantur. breviter: Hunni, Cuni, Uni, Cunchi, Cunadi, Funoti plura ſunt nomina, gens una. Ab extrema verò Aſiæ ora ventum eſt in Cunadam & Huroniam. Huyrones ſunt populi Mogolibus Tataris vicini: ab his Hurones novæ Franciæ & Uri ad Titicacam Peruviæ. Sic & Conchi novæ Mexicæ à Cunchis Tatariæ. In Nicaragua Chontales ex Chonchis ſive Conis & Alanis mixti: nam Alani ex Tataria cum aliis in Americam migrantes, Chunisque permixti, Chontalorum nomine ſignantur in Nicaragua. Ingæ ab Ungis Tatariæ profecta natio clariſſima, cujus in utraque America mentio. Sed in materia longa magis, quàm benigna remittimus plura volentem ad Georg. Horn.

Ven. de reb. orient. l. 2. c. 5.

l. 3. c. 10.

86. Parthi quoque in Americam venêre, nam à Scythis ex ſedibus ſuis exacti in Aſiam, Europam & Americam conceſſerunt. Strabo, Plinius, & Stephanus Parthenos & Parthos in Illyrico & Macedonia ponunt. Parthi emollitô ſonô & Parſi dicti ſunt, unde & Perſarum nomen, quod Daniel per Paras & Pharſi exprimit, & differentia non eſt major inter Parthos & Parſos, quàm inter Sinas & Thinas, Haſſos & Cattos.

Str. p. m. 354. edit. Iſaac. Caſaub. l. 11.

87. Alabardi, gens ex Alanis & Parthis mixta ſunt in Florida. Non iidem atque Longobardi: Nec Longobardicum nomen Alabardi: nam quæ convenientia inter Ala & Longo vel Lom? nec Alabarda teli genus nomen habet à Lombardis, ſed quòd tota bipennis eſſet, ita dicta eſt Hornio. Gerhardus Jo. Voſſius autem de vitiis Serm. ex hell/ clarus, ſplendens, flammeus, & baerd, bipennis, derivat. Notamus heic, & in America audire Græcas & Germanicas voces, non quòd hæ nationes unà cum aliis eò ſuas deſtinârint colonias; Sed acceperunt eas Americani à Parthis, quorum lingua cum Græca & Germanica non parùm convenit.

Horn. l. 3. c. 11. Voſſ. l. 2. c. 17. p. m. 284.

88. Porrò Parii ſunt inter Scythas, teſte Strabone. A Scythis ſunt Parthi & Parſi; & Parii quoque in America. Inter Scythas ſunt & Napæ & Pali apud Herodotum, ita in America inſulæ S. Trinitatis, quæ eſt è regione Pariæ, ſunt Nepoi à Napis: In Forida Otapalli à Palis.

 89. Et

89. Et Turcos in Americam immigrâſſe perhibent. qui
Græcis Tauri & Thauriſci dicuntur; Nec magna quoad nomen
differentia: Populi auctorem Tur faciunt. Hinc Tauri, Turi, Tur-
cæ, Turiſci, Derbices. Derbices autem Turcicam gentem fuiſſe
p.639.edit. Herod. Francof. Hornius ex Cteſia probare conatur, dicente. Κῦρος δὲ στρατεύει
ἐπὶ Δέρβικας, Ἀμοραίου βασιλεύοντος αὐτῶν. *Cyrus autem ad-
verſus Derbices expeditionem ſuſcipit, quorum Rex erat Amoræus.*
Ubi *Am* aliud nihil eſſe videtur, quam Cham vel Kan & Amoræ-
us, KanMora. Deinde, cùm Turci ſupra mare Caſpium fuerint,
gens ſatis vagabunda, quò minùs in extremam Aſiæ oram cum
Tataris, & exinde in terram Americæ devenerint, nil facilè mo-
rabitur. Doctiſſimus Hornius & id probat ex linguarum con-
l.l. l.3. c.12. centu: In Canada ſunt *Souriqvi* & *Yroqui*, quæ nomina ſunt à Tur-
l.4.c.22. cis. quos Herodotus vocat *Jyrcas.* In regione Paſto *Turca* & *Tu-
curros;* quæ locorum nomina à Turcis terram incolentibus:
quemadmodum ab iisdem quoque urbs *Turca* in Perſia, aliô no-
mine *Tucoman*, quô & Provincia gaudet, & proximè quidem id
nominis abeſt à Turcomannis, eliſâ tantùm literâ, r, uti hoc non
inſolens. Sic pro Tartari Tatari, pro Sarmatæ, Samatæ aliquan-
l.l. do pronunciârunt. Memorat Hornius in Colima pagum ſuper-
eſſe *Tecoman*; quæ & ipſa vox originem à Turcoman præ ſe fert.
Surukuſii ſunt in Platanis provinciis; Et Turci Deum *Teu* vocant,
tradente Nicephoro: arcem, domumvé *Culam* vel *Culuvam* & *Ca-
lam.* Ita Mexicanis Deus eſt *Teu.* Domus *Calli.* unde *Teucalli*,
domus Dei. Mexicanis mons dicitur *Tepec*; Turcis autem *Tepe*;
unde *Buzug Tepe*, montem dimidium. *Maltepe*, montem divitia-
rum dicunt. Ad eam formam, ut Mexicanis mons Cuniculorum
Cachutepec. Hæc & ſimilia videntur perſuadere, gentem Turci-
cam perveniſſe ad continentem novi orbis.

90. Tartaros, veriùs Tataros vel Totaros dixeris, à fluvio Tata-
Leuncl.p.165. ro, quem accolunt, nomen eſſe ſortitos Leunclavius autumat in
Full. in Miſcell. l.2.c.5. pandecte hiſt. Turc. Alius, quem Fullerus virum vocat illuſtrem,
nomen Tatar vel Totar eſſe Syriacum, ac notare reliquias vel reſi-
duos, dicit: eò quòd gens illa ex diſperſis ac diſſipatis decem tri-
buum Iſraëlitis orta & ſuperſtes ſit. Fullerus autem cùm natio Ta-
tarica omnium gentiũ ſit populoſiſſima, ampliſſimaq; rectè judi-
cat,

cat, non potuiſſe dici reliquias, cùm multitudine ſuâ decem tribus longè longeque ſuperent. Originem tamen Syriacam non reſpuit, niſi quòd diverſam vocabuli ſignificationem indicat: cùm ܬܰܬܰܪ ſit *abundare fecit*, ܐܶܬܬܰܬܰܪ *abundavit*. hinc ܬܘܬܪܐ *abundantia*. vid. Lex. Syr. Ægyd. Gutbirii. Conveniens admodum nomen hoc eſt cum abundante Tatarorum gente. Negat de cetero etiam cum Hornio Tataros ab Iſraëlitis eſſe exortos, quamvis inter ſe commixtos eſſe uterque concedat. Quosdam Judæorum per Tatariam delapſos, unà cum Tataris in Americam veniſſe ex Riccio monſtrat Hornius. Riccii verba ſunt: *In Sina aliquot Judæorum Synagogas repertas. Judæos illos ſe vocare Iſraëlitas & ignorare nomen Judæorum, unde videri è decem tribubus. Penes eos legem eſſe Moyſis Hebraicam ante ſexcentos & amplius annos ſcriptam ſine punctis vocalibus.* *p. 53, 54.* *Horn. l. c.*

91. De cetero Tataros in Americam eſſe delatos, non negandum videtur: nomina enim urbium, provinciarum & populorum in America reperiuntur paſſim, Tataris propè accedentia. Ita urbium quarundam Tataricarum nomina ſunt: *Cingui, Chincui, Cangi, Chinchitalo, Taingin, Tingu, Tangut, Camul, Tooma, Cianfu, Cunchi, Caſcian, Caſcar, Tholoman*. Ita in Peru: *Cigua, Chincha, Conchuco, Chindui, Chuqui, Chacaynga, Chincama, Cincero, Concingei, Iſcaicinga*. In Braſilia *Cangoni* & *Caingoin*. In Peruvia *Tomebamba, Tomependa, Cia, Conchi, Chinca, Chincama*.

92. Tataros in Americam Mexicanam veniſſe nomina in *an* deſinentia arguere exiſtimat Hornius. Apud Tataros & Turcos ſunt: *Tholoman, Arolatan, Kotan, Helan, Aſtracan, Cazan, Avaclan, Uxan, Zilan, Etairan, Agrian, Vachzizatlan, Coman, Taſcan, Multaharan, Merglan*. Ita in Mexicana ſunt loca & nomina: *Teutitlan, Coatlan, Ezapan, Haztatlan, Petatlan, Tenoxtitlan, Quezatlan*, & ſimilia multa. quæ terminatio, indicio ipſi eſt, Tataricum populum immane quantum ſeſe diffudiſſe. In Oriente ſanè paſſim hæc talia nomina reperiuntur. In Perſia: *Tzirzan, Coraſan, Guylan, Iſpahan, Cirman, Hyrcan, Milican, Badaghan, Burgian, &c.* In India: *Multan, Hagickan, Decan, Acan, Sian, Zeilan, &c.* In *l. l.*

Moluccis: *Macian*, *Bacian*, huc & refer celebrem inſulam *Japan*, & ſic per totam Mexicanam usque ad Jucatanenſes & Nicaraguanos has audies deſinentias, vocumque lapſus.

93. Nec tantùm hæc Scythicam gentem in Americam perveniſſe arguunt; adduntur his meritò nomina propria & dignitatis. Præterea uti non negatur, Judæos Tataris aggregatos unà cum his Indiam Occidentalem intrâſſe, ita novæ Angliæ incolas Hebraicâ dialectô loqui ſimiliter, teſtis eſt Rogerus Wilhelmi. In novo Belgio terram vocant *Argnada*, quod eſt Chaldaicum. Hoc equidem dignum eſt memoratu, quòd apud Hurones, teſtante Hornio, Joſephi nomen eſt in uſu, id quod à nulla gente alia, niſi Judaica eſſe poterit. *l. 4. c. 14.*

94. Imperavit quidam in Quivira, nomine *Tatarax*, quod itidem eſt originis Tataricæ. Mogolibus nomen proprium eſt *Tatar*; hinc *Tatarbeg*, tribus ita dicta apud Leunclav. *Ax* Turcis album ſignificat, quô nomine Reges gaudebant. Hinc *Axan* vel *Axhan*, hoc eſt, Rex albus, Togrulbeci filius, aliàs *Olbarſelan*. Trogo dicitur *Aſian* Tocſarorum Rex. apud Curtium eſt *Aſſacan*. apud Strabonem *Aſſacan*, Mazagum Rex. In Paria *Stalderax*, *Almorax*, *Merebax*. In Florida *Naguatax*. Reges Mexicæ *Axaica*. *Can* & *Cagan* Tataris Rex. In Paria Reges *Chacones* appellantur quod Unnorum *Caganus* eſt. *Str. p. m. 480. l. 11.*

95. Hic obiter nota: quòd *Cam* & *Can* Tatarorum differant: cùm ſolus ſummus Imperator apud Tataros nominetur *Cam*; *Can* autem quibuslibet Principibus tribuatur promiſcuè: *Quam* enim & *Cam* Tataris idem eſt ac *Tei*, *Deus*. Hinc Sinenſium Tatarorum compoſita veniunt: *Truiquam*, Deus maris. *Tanquam*, Deus pluviæ. *Taiquam*, Deus vitæ ac mortis.

96. Inter Peruanos eſt nomen Paulo, ab Hunnico *Bal*, quod & antiquis Scythis fuit uſurpatum: apud quos Rex *Palo* cujus Diodorus mentionem facit. unde Bela Regium apud Hunnos nomen. *Attila*, nomen Hunnicum: ille celebris Hunnorum Dux & orbis quondam direptor ac terror, hôc, ùt notum eſt, nomine vocabatur. Ita apud Peruanos quidam ejusdem nominis *Attala* ex Incarum ſtirpe. *Beg* & *Baſſa* Virorum Turcos inter illuſtrium tituli. *Beſſabez* apud Etecheminos, in nova Francia. In Popaian

Calambaz.

Calambaz. In Braſilia Konianbec. de quo conf. Itinerarium Jo. Stadii Homburgenſis & Thevetus. Apud Jucatanos *Alquimbech.* Incarum nomina *Ruca* & *Capa* à Turcis mutuata eſſe videntur, apud quos *Barkiaruca* & *Capi Aga* ſunt. Rex Apalches terræ ſterilis ac malignè cultæ, quæ hodie Virginia audit, *Capaſi* nominabatur. Rex Mechoacanæ *Gazun*, Tataricô nomine. Maximus in Peruvia Rex *Gainacapa*; primus autem *Mangocapa* fuit. Capa *Inca* ſignificat ſolum Dominum; qui aliàs *Huacchacuyack*, pauperum benefactor dictus eſt. Atahualpæ frater vocabatur *Guaipalca*: Nomina Tatarica ſunt, teſte Hornio, ac derivantur ſive à *Gain*, *l. c.* quem inter magnos Camos tertium Haitho *Ginu*, Planocarpus *in hiſt. orient.* *Guine*, nominat; vel Ganiatu, qui quintus Regum Tatarorum in *c. 19.* Perſia. In familia Urincuzco poſt Mangocapam Cinchiroca ſucceſſit, quæ vox forſan Tatarorum, quibus Imperator primus *Cinguis* ſive Changius eſt vocitatus. Nomen *Mango* Tataris fuit *Hayth. l. c. c.* ſatis in ore, quorum Imperator quartus & apud Perſas Jacubi Pa- *16.* diſchæ frater dicebantur *Mangones*: Ita Peruani regni κλῆςις & *v. Horn. l. c.* poſt Atahualpam ultimus hôc nomine gaudebant.

97. Multa Hunnorum nomina ab *Al* incipiunt: Sic *Aladarius*, filius Attilæ, *Almus*, Chabæ nepos. *Albuger* Chinguis filius; In America ſimilem in modum incipiunt multa ab *Al*: ut *Alitep*, *Alquinotep*, vel *Alquinbech*, *Almorax*, *Alandiulco*. Hæc & his ſimilia Hunno-Scytharum paſſim in America reperiuntur, & ſignificant eorum in Americam tranſitum.

98. Sequitur, ut conferamus Scytharum mores cum Americanorum, quos optimè depingit Amm. Marcellinus de Hunnis *l. 31. p. 435,* ſcribens hunc in modum: *Seneſcunt imberbes, compactis omnes* *436.* *firmisq; membris & opimis cervicibus, prodigioſè deformes & pandi. Radicibus herbarum & ſemicruda cujusvis pecoris herbâ veſcuntur. Ædificiis nullis unquam tecti, nec apud eos vel arundine faſtigatum reperiri tugurium poteſt, ſed vagi montes peragrantes, & ſilvas, pruinas, famem ſitimq; perferre ab incunabulis adſueſcunt. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus ſilveſtrium murium conſarcinatis. Semel obſoleti coloris tunica collo inſerta non ante deponitur aut mutatur, quàm diuturnâ carie in pannulos de-*

 fluxe-

fluxerit. Capita incurvis galeris tegunt, hirſuta crura coriis munientes hædinis eorumq́ calcei formulis nullis aptati. Aguntur nullâ ſeveritate regali, ſed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpunt, quicquid inciderit. Ineunt prælia cuneatim variis vocibus torvum ſonantibus, procul miſſilibus telis, acutis oſſibus pro ſpiculorum acie mirâ arte coagmentatis. Nemo apud eos arat. Omnes ſine ſedibus fixis absq́ lare vel lege aut ritu ſtabili diſpalantur ſemper fugientium ſimiles. Infidi, inconſtantes, mobiles, incitatiſſimi furoris, quod honeſtum, inhoneſtumq́ ſit, penitus ignorant. Quæ deſcriptio immanibus illis gentibus Americanis, Chichimecis puta, Pilcoſonibus ac Cheriguanis apprimè competit, ut, ſi quis hæc legat ἀποτόμως ac neſcius, quis loquatur, & quò de ſermo ſit, juret, Americanos dictos feriri. Tantam autem barbariem, qualem apud has gentes reperire eſt, in nulla Celtarum Europæorum gente, nec apud Norvvagos adverteris; at in Scythis Nomadibus & Anthropophagis tantum non ad fibellam quaſi fuit expreſſa per Scriptores. Vix alia gens præter Scythas voravit carnem humanam, quod idem & Americanos quosdam facere norunt ii, qui eò migrârunt, idque perſpexerunt; ea propter Anthropophagus ab Herodoto in Melpomene aliisvé delineatus, totum tibi Chichimecam oſtendet.

99. Cum Turcis quomodo conveniant audi Æthici Coſmographi veteris verba, ut ea Hornius ex antiquiſſimo codice in membranis ſcripto Biblioth. Boxhorn. repetit. ea ſunt: T*urci gens ignominioſa & incognita, monſtroſa, idololatra, fornicaria, in cunctis ſtupris & lupanariis truculenta. A quo & nomen accepit. De ſtirpe Gog & Magog. Comedunt enim univerſa abominabilia & abortiva. Statura deformi, vini penitùs ignorantes, ſal non utentes nec frumentum. Diem feſtum nequaquam niſi menſe Auguſto mediante. Habent crines fuligine deterrima corvinis ſimiles. Habent leones, pardos, canes maximos.* Verba quoque Veneti, Vincentii, Planocarpi paſſim excerpta de Tataris producit ille idem: *Staturâ mediocri, latâ facie, prominentibus genis, nasô planô & compreſsô, barba nulla vel rariſſima, ſupra verticem in morem clerico-*

l. l. c. 15.

v. Ven. l. 1. c. 55, 56, 57. Vinc. fragmenta ex l. 30. c. 71. & ſeqq.

vicorum raſi coronæ figura, & ab aure una ad aliam latitudine trium digitorum. Ebrietas apud ipſos honorabilis. Conjugia inter omnes licita, ſi matres, filias, ſorores excipias. Ducere fratris defuncti viduam licet. Uxores ſingulis complures, ſed prima honoratior & legitima. Cibus caro, etiam equina & canina; potus lac. Humanas quoque carnes hoſtium devorant, aſſas & elixas. Veſtes ab umbilico ad genua, nec brachia, pectus, latera iis teguntur. Domicilia vel in curribus portatilia, vel ex palis in modum tentorii, relictâ ſupernè feneſtrâ, per quam fumus ſe exolvit, & lux intrat. Viri in venationibus & bellis continui. Arma non ex ferro, ſed coriis, gladiorum uſus rarus. Tempora per lunas ſupputant. Initium anni Kalendæ Februarii. Hæc, ſi cum Itinerariis, quibus de gentibus Americanis agitur, conferas, convenientiam gentium illarum modò depictarum cum Americæ incolis mirè deprehendes: Scytharum enim mores per totam Americam obtinent, ut plures uxores nubant viro uni, ut comedant hoſtes, ut occiſorum capita longis infigant contis, ceu de Scythis Amm. Marcellinus; ut corpora pingant, quod & ipſum moris eſt Scythici. Memorat M. Paulus Venetus, quòd provinciæ Cangigu Incolæ, tam viri quàm mulieres, pingere ſoleant facies ſuas acubus, colla item, manus, ventres & crura, facientes imagines leonum, draconum, & avium, adeoque eas impreſſas firment, ut non facilè aboleri poſſint: & quò quis plures hujusmodi habuerit imagines, eò pulchrior æſtimatur: quæ conſuetudo Virginianis quoque & Floridanis fuit. Hurones & Iroquoſii captivos hoſtes crudeliter excarnificant, de quo pluribus Sagardus, cujus verba absque horrore nemo legerit. Sic autem ille inter cetera: *Captivis cutem, quæ cranium tegit, unà cum capillis detrahunt.* Qui mos crudelis non Huronibus tantùm, verùm etiam vicinis nationibus eſt receptus, ut ſcilicet quilibet particulam abſciſſæ cutis ſecum ferat. Quod à Scythis acceptum ex Herodoto in Melpomene colligitur. Mortuos devorare immanitas eſt Scythica: In America Venezuelani Principum carnem in fruſtra ſciſſam potui miſcebant, bibebantq;. De Chirihuanis gente trans Andes Peruviæ Inca Garcillaſſo dicit: *Edebant carnem humanam, bibebant ſanguinem. Edebant quoq; cognatos ſuos defun-*

l. 23. & 31.
l. 2. c. 46.

ctos

ctos ac comeſtorum oſſa compoſita ſepeliebant. Ne à ſororibus quidem, matribus aut filiis abſtinebatur. Hanc immanitatem eos Incæ dedocuērunt.

100. De cetero, majorem Americani, quàm ipſimet Scythæ, in devorandis hominibus crudelitatem exercuerunt: quidam absque diſcrimine, non hoſtium tantùm, verùm & aliorum hominum carnes deglutiebant, quos inter ſunt Canibales: quidam autem, ùt Mexicani & Popajani, hoſtium tantùm. In valle nova circa Popajanam, hoſtium fœminas gravidas capiebant, alebantq; domi, usque dum prolem in lucem ederent, quam vix editam dentibus dilaniabant. In valle Guaca fœminas hoſtibus ereptas vicinis ac cognatis deſponſant, & quos progignunt liberos, comedunt. Quid? quod juxta Ilheos Braſiliæ barbari cum Aymuris belligerantes, gravidarum ventres rumpunt, ut fœtum immaturum protrahant, eumque in conſpectu parentum ſemivivum, crudumq; belluinis maſticantes dentibus deglutiant. O immanem ſævitiam ac barbariem, & ſi quid ſupra hæc eſſe poteſt nomina? Ex egregia hac diſciplina eſt, quod in Canada ægrotis, de quibus nulla amplius ſpes adeſt vitæ recuperandæ, mortem approperant, à qua ſævitia ne parentes quidem exemti. Alibi deferebatur moribundus in campum, atque avibus, beſtiisq; in eſcam ſub dio exponebatur.

101. Religionum item inter Scythas ac Americanos magna eſt convenientia; Deos enim ferè eosdem colunt Tatari æquè ac Americani; unum nempe ſummum ac ἀόρατον; reliqui ſunt elementa, Heroës, aliaque creata. Planocarpus de Tataris ita: *Unum Deum creatorem viſibilium ac inviſibilium agnoſcunt. Solem tamen, ſtellas, ignem, aquam, terram, adorant ac venerantur. Credunt, quòd poſt mortem in alio orbe vivant eôdem modô, quo heîc. Divinationibus, auguriis, & incantationibus deditiſſima gens.* Hunni ad Septentrionem habitantes eosdem ac Americani colunt Deos. Stellas, ligna, lapides & ſimilia Deorum habent loco Premskii. Obdoræ & Candoræ Zlottam Babam, monumentum quoddam ad effigiem mulieris efformatum juxta ripam fluminis Obi religiosè adorant, huic idolo animalia etiam immolant,

v. Hornius.

molant, ac cuncta idoli membra ſanguine ſacrificii colorant. Reſponſa reddere dicitur more Oraculi Delphici. Geminum fortè hiſce reperire licet in America duobus in locis: In Iſthmo Darienenſi mulier *Dabaiba* (eadem penè, quæ Baba Hunnorum, ſuperadditâ tantùm ſyllabâ Da) cultu prorſus religioſô eſt affecta. In Gvahutimalla Pipeles ſaxum ad mulieris inſtar expolitum adorant.

102. Tataris Deum fuiſſe nomine *Natagain*, (quæ vox in lingva eorum terræ Deum notat) teſtis eſt Venetus, Vincentio eſt *Ithoga* ſeu *Comani Cham*, qui cum Japonenſium numine Idoſci convenit; Canadenſes in America pro Deo habent *Atavacan*, eundem ferè atque *Natagai* & *Ithoga*. Referunt autem idolo Ithogæ cor ſacrificiorum, fortè & humanorum obtuliſſe cultores, qui mos, cultusvé, cùm & inter Mexicanos ſit, à Tataris promanâſſe, non dubitavero. Ex pannis Tatari ſibi ſuos conſuunt penates ac deaſtros, ſi licet eâ voce uti. Idem fermè Aitani, Floridani, aliique fecerunt, qui ex ligno quidem & Goſsypio aliaque materia, quamvis non ex panno, ut Tatari, Deos exſculpſerunt. Aliis Tataris non ſunt ejusmodi μοϱμολυκεῖα, ſed primus cujusvis familiæ conditor honoribus ſanctis colebatur. Idem faciunt & Braſiliani, ii enim *numina nulla, Deos nullos colunt*. vid. Caſpar Barlæus.

Ven. l. l. 1 c. 58. l. 3. c. 47. In de reb. orient. ſpeculo hiſtoriali Vincentii Beluacens. l. 30. c 74.

in hiſt. rerum in Baſil. geſt. per octenn. p. 36.

103. Turci olim & Tatari multos mutuati ſunt ritus à Chriſtianis. Egregius habetur apud Nicephorum locus de cruce, quòd Turci illam non ſint averſati. Is namque memorat: *gentis ejus homines à Coſroë ad Mauritium Imp. Conſtantinopolim miſſos, qui cruces atramento frontibus inſcriptas gerebant.* Rogati ob quam cauſam crucem geſtarent? reſponderunt: *gravem ante plures annos in Turcia & Perſia peſtem fuiſſe; contra quam, ſuaſu Chriſtianorum cruce uſi, & ita liberati ſint.* In Chronico Sigebertus eandem ob cauſam Turcos in crucis modum tonſos fuiſſe dicit. Idem & apud Tataros ac Cumanos obtinere teſtis eſt Bonfinius. Sic in Iucatana & Cumana Americæ regionibus cruces ſunt inventæ, non quòd vel ab Apoſtolis vel aliis Chriſtianis doctoribus crucis doctrinam acceperint, cùm Apoſtolorum tempore nondum culta hominibus America videatur. Sed Cruces illas à Tataris vel Turcis illatas eſſe credimus.

Nic. Hiſt. Eccleſ. l. 17. c. 20.

104. Emanuel Nobrega, Soc. Jeſu in Braſilia Provincialis, *ad Rom. X.* ſcribit, ùt teſtatur Cornel. à Lapide, quòd in Braſilia extent in ripa fluminis veſtigia pedum hominis cujusdam ſancti, qui ut ſe perſequentes effugeret, ſuper fluvium illum ambulârit, & addit, eum ab incolis vocari *Zome*, qui nonnullis haud videtur alius, quàm S. Thomas. Deinde & ſermonibus jactant Braſiliani de ſancto quodam viro, quem ipſi *Meyre Humane* vocant. Hunc S. *l. l. c. 19.* Thomam eſſe duplici ratione colligit Hornius. Prima eſt petita ex nomine, quod *Meyr* Braſilianis notet in genere peregrinum, item barbatum, veſtitum. Vocem *Human* ex noſtro *Thomas*, ſolo T præciſo, formatam eſſe arbitratur. Alteram rationem petit ex hiſtoria, quæ, quod Braſiliani de Maire Humane, idem Orientales Indos Malabares de S. Thoma memorare, teſtis eſt. Lerius, ante innumerabiles lunas veniſſe ad majores ſuos virum barbatum & veſtitum, qui fidem in Deum tradiderit, more Chriſtianorum. In Breviario Chaldæo Eccleſiæ Malabaricæ, teſte Nicol. Trigaut in expedit. Chriſtian. leguntur iſthæc: *Per D. Thomam Sinæ & Æthiopes converſi ſunt ad veritatem.*

105. Notitiam S. Thomæ habuiſſe Americanos hæc evincere videntur: utrum autem ipſe, ùt nonnulli volunt, in Americam venerit? etiam diſceptatur: potuerunt enim ejus intuliſſe notitiam ex Tataria. Sanè conſtat, eum in Tataria, Sinis atque India doctrinam Chriſti gentes docuiſſe, imò & ibi occiſum eſſe; de ejus verò in Americam itinere & regreſſu non perinde conſtat. Celebratur etiam apud Indos alius Mar Thomas, i. e. Dominus Thomas, qui fidem Chriſti extinctam ἀναζωπυρῆσαι fertur. v. Ludovicus Guzmannus in Expeditionibus Indicis.

106. Sed ut ad propoſitum redeamus, mirum etiam eſt, quàm ex amusſim in multis ſepulturæ ritibus conveniant Americani cum Scythis ac Tataris. mos obtinuit & inter Scythas & inter Americanos, ut vitâ defunctorum ſepulchra, cibo, potu, etiam armis, & ſi quæ ſunt alia ad hanc vitam neceſſaria, inſtruerent. & Americani quidem ideò faciunt, quòd ſtolidè ſibi perſvaderent, animas è corpore ſolutas nihilo minus, quàm cùm in corpore eſſent adhuc, hiſce indigere, neque ab aëris injuria, aliisque hujus vitæ incommodis exceptas agere. Ex eo eſt, quod Hu-

rones

rones mortuos ſagittis, arcu & aliis armant, ſcilicet ad injuriam propulſandam, ſtatô deinceps tempore magnas exequias inſtaurant, quibus, ne oſſa carne vacua frigus adurat, ea novis pellibus muniunt. De Tataris vid. l. 30. c. 86. Speculi Hiſtorialis Vincent. Belvacenſis.

107. De Americanis Acoſta generatim ita ſcribit: *Mortuo Principe Viro in ejus honorem & ſervitium familiares & domeſticos, captivos item atq; obvios, & in ſumma omnes, qui viventi fuerant gratisſimi, trucidant; appoſito ad animæ ſuſtentationem cibo atq; potu.* Id quod nominatim de Canadenſibus, Floridanis, Mexicanis, Aitanis & Cubanis, Darienſibus, Peruanis, aliisque rectè dixeris. Atque ut de his, ita & de Tatarorum ſepultura optimè omnia conveniunt.

108. Nec multum differentiæ eſt inter funera Ingarum, & magni Chami ſepulturam. Utrobique ſunt cruenta ultra mores barbarorum. In exequiis Guainacapæ ſupra millenos cujuscunque generis homines trucidati fuêre. Id autem, quod de Mangonis, Chami Tatariæ funere traditur, tantum non fidem ſuperat: nam cùm id ad montem Alchai ſolenni more duceretur, viginti millia hominum admiſſa leguntur. nec malè ſecum agi rebantur, qui ſic peribant. quin ultrò morti ſe offerebant, ut apud inferos domino ſuo ſervitutem ſervirent. Nec facilè dictu, quot hominum millia, cùm Rex Borriquenæ Hiſpana periiſſet crudelitate, violentas ſibi manus ſponte intulerint eampſe ob cauſam.

109. Quamvis eandem barbariem uſurpârunt Angli à fide Chriſti adhuc alieni, neque non Guineenſes Africani. Nota eſt Soldurioru m apud Gallos ſors ac conditio, de qua Cæſar Comment. de Bello Gall. Omnia, quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, *l. 3. c. 22.* in ignem inferunt, etiam animalia; ac paulò ſuprâ hanc memoriam ſervi & clientes, quos ab iis directos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis unà cremabantur. Græcis vocantur hi tales *συναποθνήσκοντες*, quos adludere videtur Apoſtolus Paulus 2. Cor. VII, 3. uti obſervavit Eraſmus in annot. ad h. l.

110. Denique ad poſtremum, ſunt & alii mores Tatarorum; nam imprimis luxuriant ornatu plumatili: ſic & apud Americanos pennæ in præcipuo uſu, ornatuque. Ceterùm ſolis

Garamantibus pennarum uſum velut peculiarem olim adſcripſit Tertullianus lib. de vel. virgin. qua in re fallit eum memoria, cùm Herodoti hiſtoria & Lycios nobis ſiſtat: plumis caput exornatos. *l. 7. c. 92 p. 412. ed. Jungerm.* Quod Parienſes Turcorum more veſtiti ſunt, non parum id probat Scythicam originem. Aitani fures palo figunt, quod ſupplicii genus apud Turcas & Tataros eſt frequentisſimum. Americani exceptis paucis populis ſunt imberbes; tales ſunt & Scythæ, maximè ſeptentrionales. Hunni & Tatari ſunt diſtincti in ſeptem Hordas ſive nationes; pariter & Mexicanorum quoque ſeptem ſunt gentes. Quod ſigillatim ad Braſilianos attinet, à Tataris esſe oriundos videtur Georg. Hornio; ſumtis in argumentum rei raſurâ, more hoſtes epulandi, atque puerperio, quibus parilem in modum ut Tatari utuntur. *l. l. c. 18.*

111. An America ex terris auſtralibus quoque colonos acceperit, quæſtio eſt ſatis difficilis. Hugo Grotius autumat, per meridiem ex magno illo terrarum tractu, qui ſe ab India Orientali usque ad Magellanicum porrigit fretum, in Americam penetraſſe barbaros: argumentum ejus eſt, quòd, qui propè fretum Magellanicum ſunt, eodem ſint corporum habitu, moribus ac lingva, quo illi, qui ultra id fretum ſedes habent: quare Cisfretanos à transfretanis ortos credit. Latius in notis ad Grotii diſſertt. ſubdubitat. Nos controverſiam hanc non facimus noſtram: qui plura volet, præter laudatos conſulat & doctisſimum Hornium, ex quo multa, quæ hactenus de Americanorum origine allata ſunt, in unum conducere viſum fuit, exiſtimantibus, ea licet non ſint liquidæ veritatis, à vero tamen non abhorrere. Pro ingenio quisque ſuo demat vel addat fidem tot placitis, in tanta veri caligine.

112. Quæ autem hucusque dicta ſunt, loquuntur Hunnicam originem: nunc producendi eſſent Chatæi & ſinenſes, quos in Americam per mare pacificum progreſſos eſſe judicatur: niſi tempus ſtudiorumque ratio aliò avocaret.

CORO-

Coronidis Loco:

I. Quam Plinius Paniam dixit à Pane Dionyſii Comite, Teutones addito *His*, quod Occidentem ſonat, Hiſpaniam vocaverunt, ad differentiam Peloponneſi, quæ Orientalis alicubi dicta eſt Hiſpania. Hanc communem Originationem deſerit nec ſine ratione Bochartus, & è Phœnicia cuniculi appellatione שפן *ſaphan*, שפניה *ſphanijam*, vel *Spanijam*, i.e. *Cuniculoſam* Phœnices dixiſſe terram illam autumat. Sanè animalculum iſtud tanto numero per univerſam Hiſpaniam ſe diffuderat aliquando, ut & integra oppida ſuffoderet, &, niſi Romanis legionibus in auxilium excitis, aliter graſſanti malo occurri nequiret.

II. Fretum Anian, quod mappæ communiter pro explorato exhibent, figmentum videtur. Sanè, qui regiones illas extremæ Tatariæ accuratius luſtrârunt, quales ſunt Guil. Rubruquis, Monachus Gallus, & ad Tataros legatus, quiq; de his omnium ſcripſit accuratisſimè, ut & M. Paulus Venetus, nullius freti, ſed maris & oceani meminerunt. vide ſîs & Georg Horn. de Orig. gent. americ. l. 3. c. 9. Eliud Nicolai, &c.

III. Memoria non eſt de numero ſenſuum internorum: quia ad ſenſum requiritur, ut cognoſcat; memoriam autem non cognoſcere patet, quia ſi cognoſceret, ſemper actu cognoſcerentur res, quæ ſunt in memoria, quod falſum eſt.

IV. Terræ Gog vel Magog, quæ nomina ex Codice ſacro nota ſunt, veſtigia habentur & in ſcriptura profana: nam terra Gog vel Magog videtur eſſe Scythiæ pars circa Caucaſum, quam Colchi & Armeni, quorum dialectus erat ſemi Chaldæa, גוג חסן Gog-haſan vocitaverint, i. e. Gogi munimentum: atq; inde Græcorum Καύκασος, ex ſententia Bocharti, qui eſt mons Colchidis, quæ hodie Mengrelia eſt, Turcicæ ditionis & quod Caucaſo Prometheus, qui eſt Magog filius Japheti, adfixus à Poëtis fingitur, exinde id eſſe dixeris, quod vel ipſe, vel gens Scytharum, quo & Gog pertinet, ab illo oriunda in Caucaſo ſedes fixit. ipſum quoque nomen Gog integrum Græci ſervârunt in Γωγαρηνή, Gogarene, Iberiæ parte trans Cyrum fl. & Caucaſo ad meridiem ſita. Quamvis alii Ung & Mongul, quæ ſunt regiones veteris Tatariæ, Gog & Magog eſſe velint. v. Boch. Geog. S. P. l. L. III, c. 13. p. 213.

V.

V. Dictatoris Romani imperium à regio non tempore tantùm differt, ſed ipſo inſtituto & forma rei. Dictatura enim Magiſtratus eſt, ſumtâ hâc voce eo ſignificatu, quo ſcriptores Claſſici ſolent: hujus autem quantacunque ſit poteſtas, à ſumma tamen poteſtate dependet, & ejus vices, in quantum ea commiſit, præſtat.

VI. In provinciæ formam redigere dicebatur populus Romanus, cum ademtis aut immutatis legibus, devictos Magiſtratui Romano quotannis ab urbe mittendo omnino ſubjecit ac vectigalia conventusq́ conſtituit. vid. Carol. Sigonius l. 1. de antiq. jure provinc. c. 1.

VII. Majeſtas perſonalis & realis ſimul ſtare nequeunt: eſt enim infrunitum, duo ſumma in una civitate conſtituere; & unum in ordine fundandi, alterum in ordine regendi, ſic enim philoſophantur illi, collocare. nihilo eſt melius, majeſtatem perſonalem majeſtati reali ſubjicere, & tamen ſummam poteſtatem dicere.

IIX. Delectum habere verborum non parùm facit ad eloquentiam. huc pertinet, quod C. Cæſar in primo de analogia libro ſcripſit, tanquam ſcopulum, ſic fugiendum inauditum atque inſolens verbum. Gell. l. 1. c. 10.

IX. Deus aliarum rerum perfectiones continet vel formaliter, vel eminenter.

X. Materia exiſtit propria ſua exiſtentia, hoc ipſo, quòd habet eſſentiam.

XI. Finis eſt in numero cauſarum.

Errata:

§. 4. hæc verba: de quo vid. Bochartus in Phaleg. l. 1. c. 3. deleantur. §. 7. Hirauzabadius pro Firauzabadius. ازونر pro ازومر §. 10. ὄψυν pro ὄψιν. circa fin. §. 12. in margine Ziphra: 11. deleatur. §. 29. loginquos pro longinquos. reliqua benevolus lector corrigat.

FINIS.

e, 15

J670
V666d